

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11



1662.

- 1^{ae}₂ Covringius, Hermannus: De civitate nova. 2 Exempl.
- 2^{ae}₂ Covringius, Hermannus: De re nummaria in re publica.
quavis recte constituenda.
3. Eichelius, Johannes: De primo et secundo decreto
4. Eichelius, Johannes: De juramentis in genere, quam
in specie.
5. Glaeserus, Guoch: De simulatione
6. Glaeserus, Guoch: De jure in re . . .
7. Glaeserus, Guoch: De jure statutorio
8. Hahnus, Huricus: De corpore delicti . . .
9. Hahnus, Huricus: De dispositionibus paren-
tum inter liberos.
10. Hahnus, Huricus: De ratificatione
- 11^{ae}₂ Hildebrandus, Frachinus: De episcopis. 2 Exempl.

1700. 1745.

12. Simmeringius, Thomas Gulielmus: Selectae quaedam
quaestiones

13. Volkmar, Henricus: De jure majestatis ecclesiarum

14. Wornicus, Georgius: De juramentis in genere

Handwritten notes in the left margin, including the word "neste" and a vertical list of numbers: 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO

MANNI CONRICH
PROFESSOR OF HISTORY
UNIVERSITY OF CHICAGO

RECEIVED
BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO



17. *Stenopus*, *Stenopus* *Stenopus* *Stenopus*
Stenopus

18. *Stenopus*, *Stenopus* *Stenopus* *Stenopus*

19. *Stenopus*, *Stenopus* *Stenopus* *Stenopus*


Lxxxvii

8
1662-11
14

JOACHIMI HILDEBRANDI
COMMENTATIONVM
DE
EPISCOPIIS
ET
IVRIBVS EPISCOPALIBVS
BIGA.



EDITIO NOVISSIMA.



HELMSTADII
EX OFFICINA SCHNORRIANA.
clōlo cccxlv.



8

Handwritten text, possibly a date or page number, appearing upside down.

6

Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including the word "BIBLIOTHECA" and "SACRORUM".





Quod Christus Jesus, supremus animarum nostrarum Episcopus, bene vertat, de Episcopis eorumque principalibus juribus pro modo ingenii nonnulla perquisituro placet de forma Hierarchiæ seu sacrae reipublicæ, in qua Episcopi præcipuæ sunt partes, quædam, quæ ex discursibus Præsidis pl. reverendi, in lectionibus publicis de Hierarchia veteris Ecclesiæ habitis, partim aliunde comprehendi, concinnare ac præmittere. Sic futurum spero, ut his præsertim cognitis, jure divino nullam in Ecclesia esse jurisdictionem proprie dictam, Petrum reliquorum Apostolorum non esse dominum ac principem, eumque, ut & cæteros Apostolos, nullum reliquisse successorem, his, inquam, præcognitis, & velut principiis, positis, de ipsis deinceps juribus, quæ olim Ecclesiæ antistites usurparunt, seculo autem superiori Principes Protestantes receperunt, hodieque jure optimo tenent, eo fortasse melius sentire ac judicare liceat.

A

I. Quem-

I.

Quemadmodum in omni Republica bene constituta ordo maxime est necessarius, sine quo salva esse nequit, ita in Ecclesia militante, quæ in S. litteris cum domo, & civitate & regno confertur, ordo sit necessum est; quod Paulus docet, dum omnia in Ecclesia ordine ac decore disponi jubet 1. Cor. xiv. 40. Ordinem istum, qui in Ecclesiam introducit, Hierarchiam vulgo appellare solent, quæ nihil aliud esse videtur, quam ordo Ecclesie, quam Deus per Filium virtute S. Spiritus colligit, in primis eorum, quorum præcipua illius tangit cura. Reipublicæ igitur instar cum se habeat Ecclesia, formæque rerum publicarum a Philosophis tres demonstrantur, quibus pro eorum, qui imperant varietate, hæc indita nomina; Monarchia, Aristocratia, Democratia late sumpta; quomodo ad tres illas formas se habeat Ecclesia, dispiciemus.

II. Et vero aspectu interni regiminis, quod soli Christo in animas & conscientias hominum competit, Ecclesia bene appellatur Monarchia. Solus enim JESVS CHRISTVS Θεὸς Θεωτός a Patre cœlesti, Rex seu Monarcha Sanctæ Sionis h. e. Ecclesiæ constitutus. Ps. ii. 6. cujus regni nullus futurus finis. Luc. i. 33. solus N. T. ἀρχιερεὺς seu pontifex perpetuus & æternus Psalm. cx. 2. 3. 4. Hebr. vii. 21. Ἀρχιερωσύνη seu pastorum sui gregis princeps. Ioh. x. 14. 1. Pet. v. 4. ἡ ἀρχιερωσύνη seu Magister Ecclesia. Matt. xxiii. 8. 10. solus Ecclesie Sponsus Ioh. ii. 29. Ipse se vocat Dominum Ioh. xiii. 13. & ab Apostolo unicus Dominus, per quem omnia & nos in illo, dicitur 1. Cor. viii. 6. Idem solus existit Ecclesie verum & genuinum caput. Col. i. 18. & ideo quidem, quod solus ille Spiritu suo hoc Ecclesie corpus animet atque alat, omnibusque veris & vivis ejus membris gratiam & vires, per quas credenda credere & agenda agere & in finem usque perseverare valeant, indat, sive, ita ut dicam, influat, totumque hoc corpus ita gubernet, ac tueatur, ne unquam inferorum porta illud pessumdent. Præterea penes

penes solum Christum in sancta hac reip. sunt jura majestatis (si secundum analogiam civilium rerumpubl. loqui liceat) dum leges, quibus in ultimum suum finem, qui est æterna felicitas, dirigitur, h. e. dogmata ad æternam gloriam consequendam necessaria, & sacramenta, quæ eodem tendunt, solus condit, dum etiam magistratus Ecclesiæ, qui sunt verbi divini præcones, constituit. Eph. iv. 11. 12. 13. Ipse, inquit, Paulus, dedit alios Apostolos, alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad compactionem sanctorum, ad opus ministerii, ad ædificationem corporis Christi, donec perveniamus nos in unitatem fidei & agnitionis Filii Dei, in virum adultum, ad mensuram plenæ staturæ Christi.

III. Externum vero regimen, quod in Ecclesia est, intuentes ac respectantes, cum singulis reip. formis diverso respectu comparari posse Ecclesiam, statuimus. Et i. quidem cum Monarchia, duas ob causas, quarum una, quod Ecclesiæ, quæ una, unus sit quasi Episcopatus, qui ab omnibus Episcopis, velut uno, moraliter administratur, teste Cypriano l. i. ep. 8. *Et si pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus.* Altera vero, quod unus tantum Episcopus Ecclesiarum gubernacula per singulas diœceses tractet, ut etiam hodie *Evangelici orbis Principes*, ut jura Episcopalia habent, ad modum Monarchiæ fere Ecclesias gubernant.

IV. Denique Ecclesia, præsertim antiqua, ad nullam reip. formam proprius accedit, quam Aristocratiam. Servator ipse Aristocratiam Ecclesiæ regimen approbasse videtur, quum peractis omnibus, quorum causa in terrarum orbem descenderat, in cœlos ascensurus Apostolis velut optimatibus Ecclesiam administrandam ex æquo commendavit. Matth. xxviii. 18. 19. 20. Marc. xvi. 15. 16. Huc pertinent, quæ ex Ephes. iv. 11. & seqq. sub finem thesæos 11. citavimus, quo in loco videre licet, primos Ecclesiæ ministros velut mutuos rerum divinarum coadjutores in publica diverforum munerum societate Ecclesiæ simul præfectos. Collegium au-

autem *ἀριστοκρατικὸν* quiddam esse, e civili scientia demonstratur.

Aristot. V. Denique similitudinem speciemque status popularis
VI. Pol. 2. gerit Ecclesia. Quemadmodum enim potissima status popularis seu democratia sunt argumenta, quod in isto omnes ex omnibus magistratum eligant; omnes item iudicent etiam de maximi momenti rebus sic in Ecclesia ex plebe infima ad magistratus sacros obeundos assumi potuerunt, ac revera assumpti sunt. Laicos quoque seu populum potestatem Episcopum eligendi in Vet. Ecclesia habuisse, infra ostendemus. Præterea Laici aliquando jurisdictionis aliquam partem prætulerunt, eam præcipue, quæ in Excommunicatione sita est. Loquor autem de Excommunicatione, quæ non tam censura Ecclesiastica est & a virtute clavium dependet, quam quæ pœnæ instar: neque enim omnis excommunicatio est censura. Ejus rei exemplum videri potest apud Cyrillum epist. xviii, ad Cælestin. Tandem, quod non minus Democraticum sapit, in decretis & canonibus confirmandis operam suam conferre, atque in synodis, Ecclesie comitiis, Episcopos errantes libere monere, Laicos quandoque licuit.

VI. Verum ut, quod res est, statuamus, tantum *καὶ τοῦ ναλοῦσαν* Ecclesia reipubl. nomine venit, quod proprie magistratibus, qui in illa sunt, i. e. Episcopis seu presbyteris *πολιτικὴ κρείστος* non competat. II. Cor. I. 24. *Non dominatur*, inquit Apostolus, *fidei vestrae*, nicht das wir Herrn seyn über euren Glauben. I. Pet. v. 2. 3. *Pascite gregem, non dominantes*. I. Cor. I. 13. *Num Christus divisus est? num Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? & c. III. 5. quid est Apollō? quid Paulus? MINISTRI, per quos credentes facti estis. II. Cor. IV. 5. Non prædicamus nos ipsos, sed Jesum Christum Dominum, nos autem servos vestros per Jesum. Col. I. 25. Ecclesia factus ego sum minister. Imperium proinde & dominatum Christus sibi retinuit. Ioh. XIII. 13. I. Cor. VIII. 6. *διακονία & οἰκονομία* verbi & sacramentorum ministris Ecclesie*

clesiæ relicta, quorum proprium, ut doceant & sacramenta dispensent. Christus solus est *ἐκδοτεπότης* in domo Ecclesiæ Matt. x. 25. Hebr. iii. 3. Ministri v. œconomi, Luc. xii. 42. i. Cor. iv. 1. Legati ii. Cor. v. 20. si sunt œconomi & legati, quomodo ipsi Domini? Quocirca primæ ecclesiæ regimen totum ad *Schola* potius formam conformatum fuisse videtur, quæ a collegis pluribus ad modum Aristocratiæ gubernabatur; seu ad formam *Synagoga*, ut Hugoni Grotio placet.

Com-
ment. ad
cap. VI.
Ex. v. 3 Actor.

VII. Ceterum docentes seu ministri verbi divini & sacrorum in Ecclesia vel sunt *extraordinarii* vel *ordinarii*. Extraordinaria fuere duodecim illi, quos Irenæus vocat *veritatis prædicatores & Apostolos libertatis*, Tertullianus autem *Christi convictores*, qui in ipsius Servatoris schola ab ipso informati, *ἀπέσπας* vocati, primo ante passionem & resurrectionem Domini ad oves deperditas domus Israeliticæ ablegati, post resurrectionem ejus non ad certam Ecclesiam, sed in totum terrarum orbem excepto Iuda proditore, emissi Evangelium prædicarunt, ipsique ornati testimonio Spiritus Sancti & donis miraculorum testes fuerunt omnium eorum, quæ a Christo Iesu, dum inter mortales ageret, divina gesta fuerunt.

VIII. Præter hos Apostolorum ordini duo accensentur, *Matthias*, qui in locum Iudæ proditoris suffectus & immediate per sortem cælitus approbatam electus, atque in feriis Pentecostes ab ipso S. Spiritu in Apostolatus munere cum ceteris solemniter confirmatus. Act. i. & ii. & *Paulus* ille *Tharsensis*, quem Dominus in tertio cælo doctrina salutari & miraculis extra ordinem instruxit. Act. ix. 15. Gal. I. 1. & 12. qui passim se Apostolum nominat. Rom. I. 1. i. Cor. I. 1. &c.

IX. Primi illi Ecclesiæ fundatores, qua Apostoli fuerunt, prope neminem dignitatis atque autoritatis suæ habuerunt successorem; & quia immediato S. Spiritus afflatu impulsus habuere privilegium non errandi, scripta quoque ipsorum sunt *θεόπνευσται καὶ ἀνεπιόρθνα*, ejusque dignitatis,

quibus nemo contradicere aut contra sentire debet, & juxta quæ omnis reliqua doctrina exigenda. Vt in transeursu scriptorum Marci & Luca, qui ipsi fortasse operum Christi ἀπόστολοι non fuerunt, commemorerim, de his existimamus, cum ab Apostolis adhuc superstitionibus sint probata & Ecclesiæ commendata, omnino etiam hæc Apostolicam habere auctoritatem, & pari loco cum Apostolorum scriptis censenda.

X. Doctorum illorum, quos Extraordinarios dicimus, non erat, uno aliquo & certo in loco, seu in certa & fixa præfectura, consistere, ibidemque continenter muneris sui officia obire. Emissi enim, ut perpetui legati, a Christo erant in universum orbem, ut ædificium Ecclesiæ N. T. ministerio suo inter omnes gentes fundarent, Ecclesiæque ministros constituerent, Itaque & Propheta iis non domicilia aut sedes tribuit, sed *pedes formosos illorum, qui pacem annunciant*, ostendit, indicans expeditos illos pariter fuisse ad peragrandæ loca omnia Evangelii evulgandi causa. Solebant quidem interdum aliquamdiu eodem in loco subsistere, sed rebus expeditis alias civitates & provincias iustrasse, ac, cum opus esset, ad locum, in quo antea fuerant, rediisse, ex Apostolorum Actis satis constat.

XI. Pontificii certas & fixas sedes Apostolis assignant, Petro Romæ, Iacobo Hierosolymis, ceteris alibi, id vero contra rationem Apostolici muneris & ipsam actuum Apostolicorum historiam evidententer pugnat. Irenæus de Petro & Paulo: *Fundantes*, inquit, & *instruentes B. Apostoli Ecclesiam (Romanam) Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Hujus (Lini) Paulus in his, que sunt ad Timotheum epistolis, meminit. Succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens.* De Petro Tertullianus: *Evolvunt ordines Episcoporum suorum: ita per successores ab initio decurrentes, ut, primus ille Episcopus aliquem de Apostolis vel Apostolicis viris habuerit autorem vel antecessorem. Smyrncorum Ecclesia Polycarpum ab Iohanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro collocatum.* Inter vetustos duos

Esaiæ LII.
7.

I III. ad v.
hæref. c. 3.

II. Tim.
IV. 21.

de præst.
hæret. l. 10.

duos scriptores non quidem convenit de primo Rom. Ecclesie Episcopo, constat tamen inter eos, quod nec Petrus, nec Paulus Romanæ Ecclesie Episcopi fuerint, sed Episcopos ibi saltem constituerint. Neque id citra indignitatem eorum diceretur, eos Apostolatus functione relicta munus episcopale obijisse. Vid. Andreas Fricius Modrev. de republ. emendanda p. 551.

XII. Apostolos ex æquo Ecclesie suæ Servator præfecit. Hoc utique (mentem meam verbis Cypriani exprimere tubeat) erant & ceteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio & honoris & potestatis præditi, omnes Petro æquales, & Petrus ipsis. De Petro, quem Pontificii caput ac principem Apostolorum constituit, præclare B. Gerh. tomo VI. de Ministr. Eccl. p. 243. Petrus non est alio modo Ecclesie fundamentum, quam quo modo etiam reliqui Apostoli dicuntur Ecclesie fundamenta. Apos. XXI. v. 14. Ephes. II, 20. nimirum ratione doctrina de Christo, qui est unicum Ecclesie fundamentum, teste Paulo I. Corinth. III. II. & ipsomet Petro I. Epist. II. 4. & seqq. Nec alias claves accepit Petrus, quam quas reliqui etiam Apostoli acceperunt. Matt. XVII, 18. Ioh. XX. 23. Nec aliud mandatum pascendi oves Christi accepit Petrus, quam quod reliquis etiam Apostolis datum de prædicando Evangelio in toto terrarum orbe. Matt. XXVIII. 19, Marc. XVI. 15. Monarchicum dominatum Servator Apostolis derogat, quando ait: Reges gentium dominantur eis: & qui potestatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ita, sed qui major inter vos, sic sicut qui minor, & qui princeps, sicutis, qui ministrat. Luc. XX. 25. Matt. XX. 25. 26. Marc. X. 42. & seqq. Nullus itaque Apostolus altero superior alterive imperasse perhiberi debet, omnes enim inter se erant fratres h. e. æquales, unum habentes Patrem, qui in cælis est, Matth. XXIII. 8. & 9.

XIII. Æqualitatem istam, quæ in Apostolorum collegio fuit, S. Patres æque profitentur. Origenes Homilia I. in Matt. Num putas, inquit, soli Petro claves regni cælorum datas esse? minime vero, quia Ioh. XX, ad omnes dicit: Accipite Spiritum S.,

tum S., quorumcunque remiseritis peccata, remissa erunt: quasi omnibus talibus constitutis, qualis erat & Petrus. Eufebius lib. II. Hist. Eccles. ex lib. V. Hypothyposeon Clementis hunc citat locum: Petrus & Iacobus & Iohannes post assumptionem Servatoris, quamvis ab ipso quoque Domino aliis essent prelati, gloriam tamen hanc sibi ipsis non vendicarunt, sed Iacobum, qui dicebatur IVSTVS, Hierosolymitanorum Episcopum constituunt. Hieron: lib. I. adversus Iovin. Ecclesia super omnes Apostolos fundatur, & cuncti claves regni celorum acceperunt & ex aequo super omnes Ecclesie fortitudo solidatur. Plura his, nostri si instituti esset, adduci possint & argumenta & testimonia.

XIV. Sine controversia tamen primas Petro concedimus, 1. quidem ratione *vocationis*, quia primus Christo perfecte adhaesit; 2. ratione *etatis*, id quod tamen vero est simile; 3. *ordinis*, 4. *amoris*, quo Christum ceteris ardentius prosequutus; denique 5. *doctrinae*: primus enim & Iudaeos & gentes Evangelium docuit. Verum haec & similia primarium partium genera, quae Petro quidem tribuuntur, ut ita dicam, *personalia* fuerunt, & illi ita propria, ut ad alterum, v. g. successorem, nequaquam edudent.

XV. Tantum de primariis Ecclesiae novi testamenti directores seu doctoribus, quos alii *primos*, alii veros & *majorum gentium Apostolos* nuncupant. Subsequuntur illos, qui non minus in numero extraordinariorum ducendi, *septuaginta illi discipuli*, & illi, quos *viros Apostolicos*, item *Apostolos secundos* vocant, quales praeter ceteris emittuerunt Barnabas, Lucas, Marcus, Timotheus, Titus, Epaphroditus & alii bene multis. Hi, inquam, in numero extraordinariorum doctorum reponendi sunt. Nulli enim certae Ecclesiae affixi, pro arbitrio Apostolorum, in varias ablegabantur civitates & provincias, ut Ecclesias formarent & propagarent, iisque Presbyteros seu Episcopos praeficerent. Hi fuerunt aliquid amplius, quam Episcopi, quare ab Apostolis Apostoli saepe nominantur. Rom. XVI. 7. Philipp. II, 25.

XVI. Hos inter alii fuerunt *Prophetae*, alii *Evangelistae*.
Pro-

Prophetæ erant voluntatis divinæ interpretes, & spiritu fatidico non carebant. Huiusmodi fuerunt Agabus, Iohannes Apocalypticus, Iudas & Silas, quatuor illæ virgines Prophetissæ. Prophetiam aliis donis Paulus præfert, eamque in ecclesia apud aliquos semper residere hoc voto significat: *Velim, omnes vos loqui linguis, magis tamen ut prophetis* 1. Corinth. XIV, 5. Prophetiæ proximum erat munus Evangelistarum. Nam sicut prophetæ oraculorum divinorum erant interpretes, rerum implicitarum explicatores, ita Evangelistæ a Prophetis accepta & explicata populo quam simplicissime tradidisse, orationemque suam ad captum rudium accommodasse videntur. In universum Evangelistarum nomen in S. literis participant omnes, qui Apostolorum tempore celebres fuerunt, Evangelii præcones; tales fuisse Stephanum, Philippum, Timotheum, divinæ indicant literæ. *Κατ' ἐξοχήν* Evangelistarum nomen Matthæo, Marco, Lucæ & Iohanni, scriptoribus vitæ Christi, assignatur.

XVII. Ordinarii Ecclesiæ ministri dicuntur, qui uni certæque præfæcti sunt Ecclesiæ, Episcopi & Presbyteri promiscue in S. scriptura appellati. Apostolorum successores quidem dici possunt, ut ab Irenæo & plurimis Sanctorum Patrum dicuntur, non tamen quatenus talium, sed quatenus officio docendi Evangelium & administrandi sacramenta ab Apostolis ad se derivato funguntur. *Successores habent Apostoli, quatenus præcones & doctores erant, non quatenus eminebant*, ait eleganter B. Calixtus in responso ad illustriss. Landgravium Hassiæ p. 89. Cæterum quod a multis asseritur, & serio in primis Marcus Antonius de Dominis tueri conatur, Apostolis Episcopos, Septuaginta discipulis Presbyteros succedere, omni caret Scripturæ & S. Antiquitatis fundamento.

XVIII. Episcopi nomen Græcum & antiquum ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς seu ἐπισκοπεῖν deducitur, quod, Augustino in-1. XIX. terprete, est *superintendere*. ἐπίσκοπος igitur Latinis idem est, Civ. D. qui inspector, seu ut Hieronymus effert, *Superintendens*: Est c. 19.

B

enim

enim in Ecclesia Episcoporum, animabus sibi commissis animum intendere. Respondet vox illa Hebraea רִבִּי , quae Latine vertitur *Præfectus*, quomodo vocari solent omnes, qui rei alicujus curam & inspectionem habent. Vid. Grotius in comment. epist. Pauli ad Philipp. in cap. I. v. 1. Apud Athenienses est nomen magistratus, quem Lacedæmonii *Ἀγροσὴν* nominabant, de quo *Suidas*, *Hesychius*, *Cælius*, *Budeus* præcipue in suis, quæ orbi erudito reliquerunt, operibus. Vtitur hac ipsa voce Romanorum Orator epist. Artic. lib. VII. ep. II. *Ego*, inquit, *negotio præsum non turbulento: vult me Pompejus esse, quem tota hac Campana & maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem delectus & summa negotii referantur.* A veteribus ICtis Episcopi appellantur, quorum munus erat præesse *pani & ceteris venalibus rebus, quæ civitatum populis ad quotidianum victum usui essent*, ut ex verbis Arcadii ICti constat. lib. V. 18. §. 7. ff. tit. 4. de muner. & honor.

XIX. In Sacris N. T. literis varia Episcopi sortiuntur nomina. Ab ætate insigniuntur *πρεσβυτεροι*. Seniores, Act. XI. 30. ubi prima Presbyterorum in Ecclesia mentio occurrit. A ministerio *διάκονοι*. I. Cor. III. 5. II. Cor. III. 6. A præsidendo *Προεσώτες*. I. Tim. v. 17. quasi *προσώται τῆς ἐκκλησίας*, præfecti seu præfides Ecclesiæ, ad eum fere modum, quo Xenophon Græciæ præfectos *προσώτας τῆς Ἑλλάδος* appellat, I. 3. Hell. & I. 7. *Cyropæd.* A præcedendo *ἡγέμενοι*, Antecessores. Act. XV. 21. Hebr. XIII. 17. 24. A docendo *Διδάσκαλοι* Doctores. Act. XIII. I. I. Cor. XII. 28. Eph. IV. 11. Ab administrando *οἰκονομοὶ* *μυστηρίων θεῶν*, *ὑπηρέται* *χριστοῦ*, dispensatores mysteriorum Dei, ministri Christi. I. Cor. IV, 1. Pastorum quoque appellatio passimque in hodiernum est obvia.

XX. Ab Episcopis in primitiva Ecclesia distinguebantur *DIACONI*, qui curæ pauperum & dispensationi bonorum Ecclesiasticorum erant præfecti, quorum origo Act. VI. 2. & seqq. describitur. Fuerunt autem velut æconomi Ecclesiæ, usque hodie Provisores ararii Ecclesiastici respondet. Munus illorum a docendi officio fuit sejunctum, Sed *quum primum*

primum OMNES docerent, & OMNES baptizarent, quibuscunque diebus vel temporibus fuisset occasio, (ut cum autore comment, in epist. ad Ephes. IV. c. loquar) etiam Diaconos interdum docuisse & sacramenta administrasse, in Apostolorum Actis legimus.

XXI. Primigenium vero ac præcipuum est nomen PRESBYTERI, quo Episcopi appellantur. Cujus appellationis ratio non tantum ab ætate, sed in primis etiam a dignitate & prudentia, quam ætas sibi conciliat, petenda esse videtur. Nimirum viri ætate perfectiores ac prudentiores ab Apostolis plerumque deligebantur, ut Ecclesiæ præ essent, non quidem cum iurisdictione aliqua qualis in Iudæorum Presbyteriis, qualis item ἐν ταῖς γερουσίαις seu collegiis Seniorum apud gentiles olim exercebatur (ubi Presbyterorum nomen nihil sacerdotale fere denotat); sed comiter ac sollicita inspectione. Itaque ut Presbyteri non more quodam ἀρχιεπισκοπικῆς aut pro imperio regendam esse Ecclesiam sibi persuaderent, Apostolis placuisse censeo, ut iidem etiam Episcopi nominarentur. Eam ob rem Presbyteros sic admonendos putat Petrus C. II. epist. v. 2. & 3. *Pascite Dei gregem, qui penes vos est, illius inspectioni vacantes* (ἘΠΗΣΚΟΠΟΥΝΤΕΣ) non coacte, sed libenter, neque ut dominantes (κατακυριεύοντες) cleris. i. e. omni populo Christiano) sed ut sitis exemplaria gregis. Ex hoc apparet, antiquitatis rationem si habeamus, sub nomine Presbyteri, quam Episcopi, aliquanto amplio-rem olim fuisse dignitatem. Tantum ergo abest, ut augeat dignitatem Episcopi nomen, quin potius modum gubernandi Ecclesiam ad nudam inspectionem restringat.

XXII. Porro a primis usque & Apostolicis Ecclesiæ temporibus fuerunt iidem Presbyteri, qui Episcopi, omnes inter se, pares sub eodem nomine & cum eadem functione. Hanc Episcoporum & Presbyterorum ἰσοτελειῶν permulta S. literarum loca disertè evincunt. Act. XX. 17. 18. *Missis nunciis Ephesum, (Paulus) accessit PRESBYTEROS Ecclesiæ, qui quum advenissent.* In insigni illa oratione, quam in ultimo

fuo ab illis discessu habuit, inter alia eos ita serio adhortatur, inciso sc. 28. *Attendite vobis metipsis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus constituit EPISCOPOS, regere Ecclesiam Dei, quam Sanguine suo acquisivit.* En hic multos Presbyteros, qui omnes etiam unius civitatis Episcopi! Idem Paulus in proœmio epist. ad Philipp. EPISCOPIS ac DIACONIS gratiam ac pacem a Deo precatur, nullam peculiariter Presbyterorum mentionem faciens, quum iidem cum Episcopis essent. I. Tim. III. 2. & seqq. postquam Episcopis præcepta dederat inciso 8. ad Diaconos digreditur. Quod si a Presbyteris distincti fuissent Episcopi, seorsim Presbyteris vitæ regulas præscripsisset, Tit. I. 5. scribit, se *Titum in Creta reliquisse, ut oppidatim Presbyteros constitueret, & paulo post incis. 7. eosdem vocat Episcopos.*

Occum.
164. fol.

XXIII. Adductis Lucæ & Pauli testimoniis Petrus quoque locuples ac gravis nobis erit testis. Is enim I. ep. V. r. Presbyteros Episcopos, & se illorum συμπρεσβύτερον *modeste appellat. Præclare ad d. I. Scholiastes: Συμπρεσβύτερον* εαυτὸν καλεῖ, σημαίνει δὲ βέλεται αὐτῷ τὸτο, ἡτοι τὴν ἡλικίαν, ἢ τὴν τῆ ἐπισκόπα τιμὴν. πρεσβύτερος γὰρ καὶ τὰς ἐπισκόπους καὶ ἢ τῶν πράξεων βῆλος εἶδε λεγομένους. εἶτα βελομένος τὸ ὑπερέχον εαυτῶ παραστήσαι καὶ ὅτι ταπειοφροσύνης ἕνεκεν συμπρεσβύτερον εαυτὸν λέγει, ἐπάγει τὸ ἀξίωμα εαυτῶ, τὸ μάρτυς τῶν τῶ χριστῶ παθημάτων. τὸτο βελομένος διὰ τῶτων σημαίνει, ὅτι εἰ ἐγὼ ὁ τῶν τοῖστων θεαμάτων ὑμῶν ὑφηγητής, ἐν ἀπαξίῳ συμπρεσβύτερον ἐμαυτὸν καλεῖν, εἰδὲ ὑμεῖς δίκαιοι, κατεπαίρεσθαι τῶν ὑφ' ὑμῶς τελάντων. i. e. *Sympresbyterum se vocat.* Hoc autem vult illi significare, vel *atatem, vel dignitatem Episcopatus, Presbyteros enim etiam Episcopos διῆτος Ἀδελφῶν liber novit.* Deinde id quo præ pollet, *indicaturus, & quod humilitatis ergo Compresbyterum se vocat, dignitatem suam ostendit, quod sit testis Christi passionum. Hoc significaturus: si ego, qui talia spectacula vobis annuncio, non dedignor me vocare Compresbyterum vestrum, nec aequum est, vos in eos superbiere, qui vobis subiecti sunt.* Sic & Iohannes in secunda & tertia epistola Presbyterum, id est Episcopum se inscribit. Atque ita
in uno

in uno eodemque honoris & potestatis gradu Episcopos & Presbyteros ex Apostolica institutione positos fuisse, e Sacra Scriptura, qua testis nulla magis idonea, fatis luculente, ni fallor demonstratum.

XXIV. Patres & vetusti rerum sacrarum scriptores passim idem inculcant. Irenæus, qui sub finem Sec. II. floruit, lib. III. advers hæres c. 2. de hereticis scribit, quod dicant, se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem. & lib. IV. c. 43. *Eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris, ob audire oportet his qui successionem habent ab Apostolis - qui cum Episcopatus successionem charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. Hæc omnia conformia videntur Apostolicæ ætati & institutioni, cum præter Apostolos nulli alii nisi Presbyteri præessent. Idem eiusdem libri c. 44. Tales Presbyteros nutrit Ecclesia, de quibus & Propheta ait: Et dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in iustitia.* Ambrosius super Eph. IV. primum Episcopi Presbyteri appellantur &c. Augustin. Ep. XIX. ad Hieron. *Quamvis enim secundum honorum vocabula, quæ jam Ecclesia usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit, in multis tamen rebus Augustinus Hieronymo minor est. Episcopatum ibi honoris vocabulum, non potestatis, eumque a jure seu usu Ecclesiastico pendere, diserte scribit.*

XXV. Inprimis Hieronymus, jure divino Episcopis præ presbyteris nihil competere, acriter defendit Epistola LXXXV. ad Evang. in qua epistola, oppido vexata, ita scribit: *Audio quendam (Falcidium) in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris i. e. Episcopis anteferreret. Nam quum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse Presbyteros, quos & Episcopos, quis patiarur, mensarum & viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque consecitur? quæris auctoritatem? audi testimonium, Paulus & Timotheus, servi Jesu Christi omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis. Vis & aliud exemplum? in actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ sacerdotes Apostolus ita: loquitur:*

tur: Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopus, ut regatis Ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine. Ac nequis contentiose in una Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audiat & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eundem esse Episcopum atque Presbyterum. Propter hoc reliqui te Crete, ut, quæ de erant, corrigeres & constitueres Presbyteros per civitates, sicut ego tibi mandavi, siquis est sine crimine &c. oportet enim Episcopum sine crimine esse. Et ad Timotheum: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, & per impositionem manuum presbyterii. Sed & Petrus in prima epistola: Presbyteros, inquit, qui in vobis sunt, precor ego Compresbyter. -- Regite Ecclesiam Dei & inspice -- quod quidem Græce significantius dicitur, ἐπισκοπῶντες ἰ. e. Superintendentes, unde nomen Episcopi tractum est. Parva tibi videntur tantorum virorum testimonia? Clangat tuba Evangelica, filius tonitru, quem Jesus plurimum amavit, qui de pectore Salvatoris fluentia doctrinarum potavit: Presbyter electa Domina & filii eius &c. Presbyter Caio carissimo &c. Quod autem postea unus electus est, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens, Ecclesiam Christi rumperet. --- Quid enim facit, excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? Vbi respicit ad morem sui seculi. Nam Apostolorum tempore etiam Presbyteri ordinationis jus habebant; ut constat ex 1. Tim. IV, 14.

XXVI. Idem in comment. epist. ad Tit. Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus, & antequam Diaboli insinecti studia vel schismata in religione fierent & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cepha, communi Presbyterum consilio Ecclesie gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris superponeretur omnibus, & schismatum semina tollerentur. Hactenus Hieronymus. Huic ad stipulantur etiam Canonum quorundam testimonia. c. Nulius. dist. 60. & C. 5. olim. dist. 95. & nonnulli alii. Ita etiam Cassander in consult. art. 14. Convenit inter omnes, in Apostolorum aetate inter Episcopos & presbyteros nullum discrimen fuisse,

fuisse, sed postmodum schismatis evitandi causa Episcopum Presbyteris fuisse propositum, cui *χειροτονία*. i. e. ordinandi potestas concessa est.

XXVII. Aërium vero hæreticum quod attinet, & iste, fateor, discrimen inter Episcopum & Presbyterum negavit, at longe alia ratione, quamqua Sancti Patres & nostra Ecclesia. Is enim, teste Augustino de hæret. odio Eustathii, qui ipsi in episcopatu antelatus erat, docuit, nulla differentia ab Episcopo presbyterum discerni DEBERE, quum iure divino hoc esset prohibitum. Quam sententiam, ut falsam, vetus Ecclesia merito est execrata. Nostra vero Ecclesia, etsi, iure divino discrimen illud institutum esse, cum S. S. Patribus recte negat, recte tamen iure humano & Ecclesiastico in schismatis remedium esse introductum, affirmat. Vel hinc, factis clarum est, quam inique Bellarminus, Medina, Petavius omnesque Pontificiæ Hierarchiæ defensores hæreseos Aëriana Ecclesiam nostram ream faciant. Vid. Walonis Messalini, vel qui sub hoc nomine latet, Salmasii de Episc. & Presbyt. dissertatio; Davidis Blondelli Apologia pro sententia Hieronymi de Episc. & Presbyt. Et Excell. Domini Præsidis de hæresi Aërii, eiusdemque de Ecclesia Disputationes.

XXVIII. Firmum igitur sit, Apostolico i. e. aureo illo Ecclesiæ seculo inter Episcopos & Presbyteros nullum fuisse discrimen. At vero cum fieri non possit, ut sine primo aliquo seu direttore constet collegium, Primum ejusmodi in presbyterorum collegiis fuisse, cui data sit *προεδρεία*, non inficiamur: quemadmodum in collegio *Ἀρχόντων*, qui Athenis quondam dominabantur, primus quidam solus anno nomen dabat, quo tamen cæteros nemo dixerit inferiores. Ejusmodi Primi in Presbyterorum collegiis fuisse videntur *Septem illi Angeli Ecclesiarum* Ephesinæ, Smyrnenfis, Pergamenæ, Thyatirensis, Sardinæ, Philadelphensis & Ladicenæ, ad quos scribere Christus Iohannem iubet Apoc. i. & ii. Quanquam scio esse alios, qui per Angelos urbium designari velint cælestes Angelos, Ecclesiis custodes seu Episcopos

scopos invisibiles præpositos, in quam sententiam Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Andreas Cæsariensis aliique ivisse leguntur; alios vero, inter quos Salmasius, Vir celeberrimi nominis, qui Aretham, Scholiasten Græcum Apocalypseos, sequuti, per Angelos urbium ipsas Ecclesias, quæ in illis urbibus erant, designari arguantur. Arethas in Apoc. p. 893. Salmas. seu Walo Messalinus dissert. de Episc. & presbyt. c. IV. & B. Calixtus noster in Appar. Theol. Sect. de Pontif. seu Episc. Rom. p. 219. & sqq.

XXIX. Temporum successu Episcopi a Presbyteris distingui, & hi illis subijci cœperunt, ne in Ecclesia confusa omnia peragerentur, solis Episcopis ordinandi potestate collata. Horum autem constitutio ita se habere videtur. Quum Ecclesia grex adhuc esset exiguus, tantum per majores civitates collocasse Episcopos verisimile est; quum vero indies fidelium numerus augeteretur, per minores quoque civitates Episcopi e presbyterorum numero consecrabantur, qui ab eo, qui in metropoli locum tenebat, ordinabantur, eique erant, quoad externum Ecclesiæ regimen, subjecti. Tandem isto temporum tractu, quo benignissimum Numen, cessantibus gravissimis persecutionibus, Ecclesiæ tranquillitatem ac pacem attulerat, pluribus Episcopis constitutis, orti sunt Patriarchæ, qui Episcopos in Metropoli residentes, quos inde Metropolitanos, item Archiepiscopos appellarunt, ordinarent. Inde triperitus Episcoporum ordo emergit, ut alii sint PATRIARCHAE, alii METROPOLITANI seu Archiepiscopi, alii denique EPISCOPI *simpliciter*. Lancellottus instit. Iuris Can. l. 1. tit. v.

XXX. Patriarcharum dignitas ab urbium, in quibus habitabant, dignitate æstimabatur. Erant nimirum per totum imperium Romanum tres urbes primariæ seu Metropoles in primitiva Ecclesia: *Roma*, imperii sedes, *Alexandria* in Ægypto, *Antiochia* in Syria. Ab harum urbium eminentia Episcopi, qui in illis sedebant, obtinuerunt, ut reliquarum urbium & provinciarum Episcopos dignitate antecederent.

Alexan-

Alexandrina igitur Ecclesia a Romana secundum, Antiochena vero tertium sortiebatur locum. vid. Hegefippus, seu quisquis autor sit, l. 3. de excid. Hieros. c. 5. Vt vero Byzantium excrevit, eamque urbem Constantinus Magnus imperii sedem sibi que cognominem statuit, simul dignitas Episcopi ibi residentis incrementum cepit, ut secundum a Rom. Episcopo obtineret locum. c. III. Constantinopolitanæ. dist. 22.

XXXI. Constantinopolitanæ civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum episcopum, propterea quod sit nova Roma. vid. &c. vi. renovantes dist. ead. Habita etiam est ratio Episcopi Hierosolymitani, non quidem ob urbis eminentiam, quæ tum eversa erat, sed quod omnium Ecclesiarum esset mater, quam Christus ipsa sua præsentia ac morte nobilitasset. Hinc urbis illius Episcopo honor Patriarcha dignus habebatur, atque in congressu *περὸν ἀδελφῶν* concedebatur: metropoli tamen, quæ Casarea Palaestina, propria dignitas, & proprium jus ordinandi episcopos provinciæ aliquamdiu servabatur; quod B. Calixtus in Theol. App. sect. de Pontif. seu Episc. R. præclare observat.

XXXII. Quinque illi Patriarchæ tantæ erant auctoritatis, ut sine istorum consensione nihil, quod universam Ecclesiam concerneret, decideretur, ad ipsosque reliqui Episcopi, quisque ad eum, cui erat subjectus, provocare tenebantur. Tam concordia amicitia & charitate se invicem amplectebantur, ut per epistolas canonicas, quas *Formatas* dixerunt, inter se invicem subinde communicarent, & sacris in conventibus alter pro alterius incolumitate Deum deprecarentur. Tanta denique æqualitas illos connectebat, quantam esse inter collegas convenit, imo ut prope fraterna haberetur. Nulla prorsus inter ipsos, præter solum ordinem dignitatis & *περὸν ἀδελφῶν* inventa est subordinatio. Hinc variæ illæ admonitiones, ne paritas illa discinderetur. Pelagius II. in quadam epistola contra titulum *œcumenii* seu universalis Episcopi: *Nullus Patriarcharum universalitatis vocabulo unquam utatur: quia, si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcha*

rum nomen haberis derogatur; sed absit hoc, absit a fidelis cujusquam mente, hoc sibi vel velle quempiam arripere, unde honorem Fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. &c. Gregorius I. ferre nullo modo potuit, Iohannem Patriarcham, Constantinopolitanum insolente illo universalis titulo se insignire. Ad quem (quum is Constantinopoli, ubi sedes imperii, erat, Papatum erigere cuperet, favente Imp. Mauritio, teste Molinæo Not. lur. Canon. p. 29.) ideo Gregorius ita scribit: *Quid frater carissime, in illo terribili examine venientis iudicis dicturus es, qui non solum Pater, sed etiam GENERALIS PATER IN MÜNDO vocari appetis? -- Nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne si sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Et ipse hic Gregorius titulum *universalis*, superbiæ & fastus plenum, respuit c. Ecce. dist. 99. *Recedat*, inquit, *Verba, quæ vanitatem instant & charitatem vulnerant.* Nomen istud non modo profanum & ambitiosum, sed etiam AntiChristi proprium esse, scribit idem Epistolarum lib. 4. c. 77. c. 78. c. 80. c. 82.

Baron. XXXIII. Quamvis vero omnes illi ita pares & æquales
Annal. T. inter se essent, moneri tamen poterant errantes a minus er-
IX. c. 823 rantibus. Quemadmodum in regimine scholastico, cujusmodi in Ecclesia obtinere supra innuimus, collega collegam erroris comiter admonere solet, eo tamen ipso in istum Iurisdictionem aliquam exercere dici nequit. Ista vero Patriarcham corrigendi potestas Concilio præcipue compete-
bat, ad quod pariter Ordinandi & deponendi illum potestas referenda

XXXIV. Memoratu dignum est, præter quinque illas Ecclesias Patriarchales fuisse complures alias istis quidem minime subiectas, cujusmodi, quæ in Cypro, Aethiopia, India, in quas nihil juris Patriarchas habuisse, historiarum monumenta loquuntur.

XXXV.

XXXV. Ceterum sicut nihil facilius mortalium animos accendere solet, quam ambitionis prurigo, ita Romanus Patriarcha ambitionis turpitudine tandem adreptus se *Patriarcharum Patriarcham, Episcoporum Episcopum*, Petri successorem, qui tamen, qua Apostolus, successorem nullum habuit, ut supra offensum, appellare, & *petram* non de Servatore sed de semetipso impiissime interpretari, non erubuit; impudente præterea fastu jactans, se jure divino & ab ipso Christo eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assequuntur. Anacletus epist. 3. c. 3. C. Sacrosancta dist. 22. qui tamen canon Anti Christianus ejusque autor suppositivus est. Vid. Carolus Molinæus in not. ad hanc Distinct. Ambitioni isti Pontificis R. insigne dedit incrementum Phocas Imperator, dum Romæ, quia prima sedes imperii, primatum adjudicavit. Sub quo Imperatore Anti Christus quasi conceptus, sed sub Henrico IV. obstetricante Gregorio VII. cum impiis suis Dictatibus maturo partu prodisse videtur.

XXXVI. Fastum autem non excusandum, imo Anti Christianum declarant, quæ Romanus Pontifex, seu, ut eum Casaubonus inscribit, Iupiter ille Capitolinus sibi, & sequiores Canonistæ eidem liberali manu vindicant; inter alia multa, quod iste inter Patriarchas primus sit, qui non puri hominis, sed viri Dei gerat vicem in terris, quod tantum Imperatori præstet, quantum Sol Lunæ, aurum plumbo, spiritus carni, quod idem cum Deo consistorium, idemque cum Christo tribunal habeat; quod omnem potestatem in celo & in terra habeat, unde nemo dicere possit: *Papa cur id facis?* quod contra ius, supra jus & extra jus possit omnia &c. Et quæ Cardinalis Bellarminus Zelotico in Romanam curiam affectu abreptus de Papa suo scribit, quod iudicium ejus sit ἀναπόκλητον seu infallibile, l. 4. de Pontif. R. c. 2. 3. & seqq. quod leges ferre possit, quæ conscientias obligent, c. 15. l. c. quod supremus in Ecclesia sit Iudex c. l. l. c. quod ex quavis parte orbis Christiani ad istum legitime provocetur, sed

Casaub.
epist. ad
Frontonem
Ducem.

ab ejus sententia nulla concedenda fit appellatio l. 2. de Pont. R. c. 21. quod immediate omnem habeat jurisdictionem Ecclesiasticam & ab eo ceteri Episcopi omnes atque singuli suam accipiant. l. 4. de Pontif. R. c. 24. quod summam in secularibus habeat potestatem, ita ut mutare possit regna, & uni auferre atque alteri conferre l. 5. de P. R. c. 6. & quod imperatores Occidentales suum ipsi debeant imperium, c. 8. l. c. Hæc & per multa alia sunt, quibus gloriosi Romanæ cathedræ assertores in immensum illam evehunt. Quæ cujus sint coloris, & quam putida sint fundamenta, jam dudum Christiano orbi detectum atque in primis ab Excellentissimo D. Titio, adductis rationibus & testimoniis, in Ostensione ejus summaria Cap. 11. luculenter ostensum.

XXXVII. Non omittendum, sed observatu maxime dignum judico, etiamsi Phocas Romano Episcopo insolentem illum titulum *universalis Pape* indulserit, ipsum tamen nullam ei permisisse jurisdictionem. Hanc enim Imperatores in Pontifices & omnes Ecclesiasticos per mille amplius annos usque ad Henricum IV. illasam fere atque intactam conservasse, commonstrat Magnif. D. Arnoldus Engelbrecht in Disquisitione de jurisdic. th. LXXXV. Per septem integra secula de temporalibus Pontifices nihil disposuisse, Otto Frisingensis, Friderici I. patruus, quem magnificiunt Pontifici, docere nos potest. Chron. l. V. C. XXI. Anno ab incarnatione Domini DCCL. quum, Regibus Francorum solo nomine regnantibus, Majores domus omnem regni curam administrarent, Pipinus, qui hanc dignitatem per successorem acceperat, Burchar. dum Herbipolensem Episcopum & Folradum Capellanum suum ad Zachariam sciscitandi gratia misit. Pontifex ergo, melius esse, ut ille, qui curam omnium haberet, Rex diceretur, quam qui solum Regis nomen gereret, remandavit. Eo tempore Hildericus, ex antiquorum Francorum Regum, qui a Meroveo, Clodii filio, Merovingi dicebantur, sanguine descenderat, inane (ut dixi) regium nomen tenebat. Et statim cap. XXII. Igitur anno ab incarnatione Domini DCLII. reversis a Roma nunciis, auctoritate Zacharie Pape, Pipi-

mus a beato Bonifacio Moguntio Archiepiscopo aliisque regni Principibus in Sueffona civitate ad regnum eligitur. --- Et sequenti cap. Anno ab incarnatione Domini DCCLIV, Pipinus a Stephano Papa primo a fidelitatis Sacramento, quod Hilderico promiserat, cum aliis regni Francorum primoribus absolvitur: ac deponso Hilderico & in monasterium detruso, postmodum in Regem ungitur. -- EX

HOC ROMANI PONTIFICES REGNA MUTANDI AVTORITATEM TRAHUNT. Hæc Episcopus Frisingensis. Regem quidem Hildericum (ut obiter, data tamen occasione, hoc addam) Papa Rom. sive is Zacharias, sive Stephanus fuerit, non ipse deposuit, ut Pontificii scriptores gloriose mentiuntur, sed Proceres Francici, inter quos tum facile familiam Pipinus duxit, eundem exauctorarunt, quamvis Papæ permoti imploraverant, ad id confirmarentur. Aliud autem est deponere Regem, aliud deponendi consilium dare & in factum aliquod consentire, ut prudenter distinguit Lupoldus de Babenberg in tractat. de jure regni & imperii; seu, ut Hotom. in Francog. c. 15. differit, aliud est Regem creare, aliud creandi consilium dare, aliud jus creandi habere, aliud jus consilii dandi &c. vid. Christoph. Lehm. Chron. Spirens. L. III. c. 22.

XXXVIII. Causam igitur, quæ Patriarcharum æqualitatem discidit, cupiditatem principatus Romanorum Pontificum fuisse, cognoscimus. De schismate illo præcipue circa fidei dogmata, quid Andreas Fricius, moderatus sacrarum rerum æstimator, censeat, non possum, quin subjungam: *Non illud probandum est, inquit, in Pontificibus Romanis, qui ab Ecclesiis Antiochenis, Alexandrinis & Constantinopolitanis separaverunt se & Ecclesiam Latinam, matrimonio Presbyteris ablato, calice cœnæ Domini populo. Fecerunt id & in aliis articulis doctrinæ: Sed illi videri possunt obscuriores. In his vero, qui tam clari sunt, quam qui clarissimi, quid opus erat tam odiosa separatio? Retinent igitur Antiocheni, Alexandrini, Constantinopolitani de sacramentis illis, & verba & sensum tum Christi, tum Apostolorum.*

Lib. II. de
Ecol. c. 9.

6

rini utrumque & suis Ecclesiis ejecerunt, ac coarctatis sibi magistris, qui dogmata sua, quibus possent, coloribus ornarent & tuerentur, formulas composuerunt, ex quibus se catholicos, alios hereticos pronunciant; quasi vero non magis sit catholicismus tribuendus tribus illis Ecclesia Christi Patriarchis, quam uni Latinae. Sed haec quis non videt ex ambitione profecta esse, & cupiditate principatus Romanorum Pontificum, qui statuendis rebus singularibus amplitudinem eminentiae suae orbi declararunt. Ita Secretarius iste Regis Poloniae. Verum quantopere & quibus in fidei articulis, quos vocant, a Graecis Romanenses dissideant, utrum etiam Latinorum, an vero Graecorum Ecclesiae catholicismus sit tribuendus, an neutri, an vero etiam nostra Protestantium Ecclesia Graecis, quam Latinis propius accedat, nostrae non est considerationis. Vide Acta Tybingensium Theologorum cum Hieremia Patriarcha Constantinopol. Chytrai item de statu Graecae Ecclesiae orationem, ut & Metrophanis Critopuli Confessionem, anno superiori in hac Academia publici juris factam, & disertam, quae in eam scripta est, Praefationem Consultissimi D. Conringii, in qua is de consensione & dissensione Graecarum, Romanensium & Protestantium Ecclesiarum, vel ut in transcurso, disserit. Sed de Romani Pontificis potestate, quam in dies & annos insolenter sibi sumpsit, infra fortasse nos pluribus.

XXXIX. Ad ceteros Patriarchas ut paulisper revertamur, quisque in suo *πατριάρχείο* summum jus habet in Archiepiscopos & reliquos Ecclesiasticos omnes, ita ut quae perperam ab inferioribus Antistitibus iudicata sunt, ad ipsos gradatim deferantur, salvo tamen jure a Patriarcha ad Synodum, praesertim Oecumenicam appellandi. 6. quæst. 3. & 4. Paurmeister de jurisd. l. II. c. 7. §. 122. jus iidem habent cum eo dispensandi, quem concilium ob malam administrationem suspendit, quod jus neque Metropolitanus, neque ipsum concilium habet. c. Grave de Extr. de praebend. & dignit. De reliquis, & existant, Patriarcharum juribus eorumque primatu plura ex ipso Canonico jure, cui lubet, petat.

XL. Quod ad hodiernum Patriarcharum in Oriente statum attinet, is omnino miser atque angustus perhibetur. Resident quidem adhuc in Oriente, sed in media Turcici imperii barbarie. Pro confirmatione Suldanis persolvere huc usque tenentur certam pecuniæ summam, quam *Pescesium* vocant, quod ad quatuor mille & centum Ducatos excrevisse ferunt. Ipsi vero pari inter se vivunt dignitate, neque ullum præter sessionem inter illos intercedit discrimen, neminem in universum caput appellari volunt, contenti capite catholicæ Ecclesiæ, quod Christum solum esse dicunt. In unum locum si quando conveniunt, manus sibi invicem osculantur, & sacra celebrantes, alter alterius in publicis precibus ad Deum fufis devote meminit. Vid. de his plura in laudata Critopuli Confes. cap. ult.

XLI. Illud prætermittendum non est, quum in Vet. Ecclesia Patriarcharum *ἐπισκοπῆ* nimis ampla esset lateque pateret, Patriarchis & Archiepiscopis seu Metropolitanis medio loco q̄s. interjecto fuisse *Primates*, cuiusmodi in quolibet fere regno fuisse deprehendimus. Hoc modo in Germania Archiepiscopus Magdeburgensis; in Hispania Toletanus; in Anglia Cantuariensis; in Italia Aquilejensis; in Gallia Orientali sive imperiali Trevirensis; in Gallia Celtica Biturigenfis, Grandensis & Lugdunensis Primates dicuntur. Petr. Greg. Tholofan. Syntag. Iuris universi l. 15. c. 10. Paurmeister cap. 7. l. 2. de iurisdic̄t. Ad Primates, quoties necesse fuerit, Episcopi ab Archiepiscopis appellant, sed a Primatibus ad Archiepiscopos appellare non licet. c. de Primatibus dist. 99. Debent obedientiam Primatibus Archiepiscopis in omnibus, quæ sibi ab eis iuste fuerint imperata. l. c.

XLII. Porro Patriarchas & Primates *unam formam tenere* i. e. quoad officium unum idemque esse, *licet diversa sint nomina*, scribit Anacletus Papa epist. 2. c. provinciæ dist. 99. quod tamen non simpliciter, nec per omnia verum. Anicetus sanxit, nullos Archiepiscopos Primates vocandos, nisi illos, qui primas teneant civitates quarum Episcopos Apostoli

&

& successores Apostolorum regulariter Patriarchas & Primate esse constituerint c. Nulli dist. ead. Sed nec hoc universaliter verum. Primatum numero quidam veluti inferioris sub-sellii Patriarchæ illis quinque superioribus, quos diximus, hi accenseri solent: *Aquileiensis, Cantuariensis, Biturigenfis, & Grandensis*. Duarenus de sacr. eccl. ministr. ac benef. l. 1. c. 9. fed hi ἀναλόγως Patriarchæ dicuntur.

XLIII. A Primatibus proximi sunt *Archiepiscopi*, qui & in jure tam civili quam canonico *Metropolitani* a metropoli aliqua seu matrice civitate, in qua sedent, appellantur. Duarenus l. c. A. Lancelotto definiuntur *unius Provinciae Episcoporum principes & presules*. Instit. Iuris Canon. l. I. tit. 5. Propositi olim erant *Metropolitani* illis urbibus, quibus antiquæ superstitionis atque idololatriæ *Archiflamines*, præfuerant c. In illis dist. 80. Vnum in una provincia esse debere *Metropolitanum*, sancit concilium Chalcedonense c. 12. qui habetur dist. ult. c. Pervenit. Item synodus Barionensis sub Gregorio M. celebrata c. 3. & Carolus Magnus in cap. Eccl. apud Goldastum tom. 3. p. 152. Ordinarium potestatem habet *Metropolitanus* in provincia suæ *Episcopos*, cujus beneficio totam provinciam instruere; Leo epist. XCV. in primis *Episcopos* suæ provinciæ ordinare potest ac debet, ut habetur Nicensi Concilii canone seu capitulo 4. *Episcopum oportet ab omnibus, si fieri potest, qui sunt in provincia ejus, ordinari. Si vero hoc difficile fuerit, vel aliqua urgente necessitate, vel itineris longitudine, certe tres Episcopi debent in unum esse congregati, ita ut etiam ceterorum, qui absentes sunt, consensum literis teneant, & ita faciant ordinationem. Potestas sane vel confirmatio pertinebit per singulas provincias ad Metropolitanum Episcopum.* Et can. 6. *Per omnia autem manifestum est, quod, si quis præter voluntatem & conscientiam Metropolitanæ Episcopi fuerit ordinatus, hunc concilium magnum & sanctum censuit, non debere esse Episcopum.* Vi suæ potestatis *Metropolitanum* oportet suffraganeos *Episcopale* munus negligenter obeuntes monere, arguere, & si opus, compellere, ut, quod officii sui est, naviter ac fideliter
ex.

expleant; ab officio suspendere, excommunicare; quæ singula multi canones decernunt. Memorabile est istud, quod de Hincmaro Remensi Archiepiscopo, viro sui seculi doctissimo, referunt, quod nim. Rothaldum, Sueffionensem Episcopum, varia ob crimina in synodo ab Episcopatu removerit, alio ipsi subrogato; imo vero etiam in monasterium intruferit, & tetrus carceribus marceraverit; Item quod Episcopum Laudunensem sibi cognominem Suffraganeum eumque nepotem suum non modo catenis & carceribus, verum etiam excommunicatione plectendum curaverit. Marc. Ant. de Dominis l. III. de rep. Eccl. c. 7. n. 20.

XLIV. Ad hæc vi legis Metropolitanæ Archiepiscopi seu metropolitani est provinciam suam visitare, procuraciones exigere, pravas consuetudines abolere, bonas inducere, disciplinam Ecclesiasticam sartam testam conservare. Hinc Ivo epist. 182. rogat suum Archiepiscopum Sennotentem, ut ecclesiam ipsius Carnotensem visitaret. Vid. c. sopita de cens. Singulis annis Comprovinciales suos ad concilium evocare; can. 2. Synodi Aurelianensis II. seu juxta constitutionem Caroli M. capitul. 133. quotannis bina vice episcopos suffraganeos ad concilium provinciale cogere; Populo benedicere cruce prævia, Ceremon. Rom. c. 4. l. I. Diem Paschatis indicare. Hoc fecisse Metropolitanos, antequam tabulæ fixæ & perpetuæ festorum mobilium fuerunt in ventæ, Ambros. ep. 87. & concil. Toletanum 4. c. 4. testantur; Regem & Reginam consecrare seu corona insignire. Ivo ep. 189. Vocantis ecclesiæ bona administrare, seu alii ad tempus in *Commendam* committere, qui veluti tutor & procurator sit, quousque de successore legitimo provideatur. Vnde *Commendarum* origo enata. Concil. Regiens c. 56, Res ecclesiæ sine consilio & assensu Metropolitanis alienari non possunt; ita cautum in concilio Carthag., ut videtur, quinto, 17. q. 3. c. Nullus.

XLV. Tameis vero magna sit potestas Metropolitanis in Suffraganeos, si tamen delictis non sint affines, jus in eos Metropolitanis fere nullum est. Quum enim provinciæ Episcopi

D

scopi

scopi nihil contra officium suum agunt, sed ut boni operarii in vinea Domini fideliter & impigre laborant, facta jam ipsorum ordinatione, nulla inter ipsos est differentia, nulla disparitas, nullus inter ipsos Archiepiscopus, nullus Primas, nullus Patriarcha, nullus Papa, sed omnes iure divino ex æquo sunt Episcopi. Hinc nihil quicquam sine Episcoporum consilio facere Metropolitanano, nec Episcopis sine Metropolitanano consensu quicquam alicujus momenti facere fuit concessum sed bonum commune communi consilio promoverunt. Vnde in concilio Antiocheno c. IX. decretum: μηδὲν πρῶττεν (χωρὶ τὸν Ἐπίσκοπον) δεῖμα τῆ Μητροπόλεως ἐπισκόπα, μηδὲ αὐτὸν ἀνευ τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης. i. e. Nihil facere (debet Episcopum) sine Metropolitanano episcopi, neque illum sine ceterorum sententia. 9. q. 3. c. Per singulas. Et cæt.

XLVI. Proinde etiam Metropolitanis curam ordinariam suorum suffraganeorum sibi vindicare aut turbare non licet. Quod si vero Episcopi alicujus officium a regula dederet, instituto Ecclesiastico subditis illius vel ad vicinum Episcopum, vel ad Metropolitanum, vel ad concilium suæ provinciae confugere seu appellare licet, ut inter alia in Sardicensi concilio sancitum: ὁ ἐκβαλλόμενος ἐχέτω ἐξουσίαν ἐπὶ τὸν ἐπίσκοπον τῆς μετροπόλεως τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας καταφυγεῖν. εἰ δὲ ὁ τῆς μετροπόλεως ἀπέσιν, ἐπὶ τὸν πλησιόχορον κατατρέχειν καὶ ἀξίον, ἵνα μετὰ ἀκριβείας αὐτὸ ἐξετάσῃαι τὸ πρῶγμα. h. e. Qui eiicitur, facultatem habeat confugiendi ad Episcopum Metropolitae ejusdem provinciae: si autem Metropolitanus absit finitimum adeundi ac rogandi, ut ipsius causa diligenter cognoscatur. 11. q. 3. c. 4. si Episcopus. A Metropolitanano ad Primatem seu Patriarcham vel etiam ad ipsum Imperatorem appellari potest, ut a Ludovico Pio imp. statutum capitul. 13. apud Goldastum tom. 3 pag. 258. Si quis putaverit a proprio Metropolitanano gravari apud Primatem dioceseos aut apud Constantinopolitanam civitatis sedem agat iudicium.

XLVII. Hæc præcipua sunt jura Metropolitanica, quæ passim sparsa collegi atque in chartam conjeci; quæ tamen non a jure

a jure divino, sed ab instituto mere Ecclesiastico, partim consuetudine inducta, partim a summis Imperatoribus Ecclesiis permiffa dependent. Planum enim jam est, jure divino nullam Ecclesiam altera, adeoque nullum Antistitem sacrum altero esse superiorem.

XLVIII. Sequuntur *Episcopi simpliciter* ita nominati, qui in unam aliquam civitatem & vicos, civitati illi subjectos, suam habent inspectionem. Quibus expositis, tres summos EPISCOPORVM gradus aspeximus, PATRIARCHARVM ARCHIEPISCOPORVM & EPISCOPORVM simpliciter; PRIMATES vero partim ad Patriarchas, partim ad Archiepiscopos retulimus.

XLIX. Antequam omnino hinc abeam, nonnihil de CHOREPISCOPIIS adjungendum videtur. Nomen isti quidem habent ἀπὸ τῆς χώρας, quæ non solum regionem, sed etiam vicum seu *villam* denotat; Inde denominantur χωρικός, ἐπι-
 χώρας, ἐρχώριος, loco cujus apud Aferam poetam nonnulli ἐγχώριος legunt, quod idem est, quia idem χώρα, quod κάμη. Nomen itaque nudum si contemplaris, χωρεπίσκοποι, dicantur quasi τῶν χωρῶν ἐπίσκοποι villarum seu rustici Episcopi; qui non in civitate, sed per vicos & pagos munus Episcopi quadamrenus obibant. Sed quamnam istorum genuina ratio & origo fuerit, non facile assertu videtur, quoniam pauca de illis in monumentis SS. Antiquitatum exstant vestigia. Mentie istorum sit in nonnullis Synodorum tam uniuersalium, quam provincialium canonibus, præcipue An-cyranæ c. 13. Nicenæ c. 7. Antiochenæ c. 8. & 10. Neocæsarensis c. 14. Chalcedonenfis c. 2. quos canones penitus intuentes, quid si dicamus (salvo aliorum judicio) Chorepiscopos non tam vicarios otiosorum Episcoporum, ut vulgo fe-re omnes statuunt, quam vicanos seu rurales Episcopos fuisse?

L. Istorum ratio (fas esto coniecere) fortassis, se ita ha-buit Eo tempore, quum omnes Ecclesia ministri indiscreto nomine & Episcopi & Presbyteri appellarentur, illi quoque, qui in vicis seu pagis Ecclesiis præfuerunt, non modo Pres-
 D 2 byteri,

Hesl. 8.
v. 342.

byteri, sed Episcopi etiam nomen habuerunt, iique urbanis Episcopis nondum subiecti suo jure suas rexerunt Ecclesias. Postea quam, æqualitate sublata, unus reliquis Presbyteris præponeretur, ipsi, qui Episcopi nomen solus obtinebat, ut urbici, ita non minus villatici Presbyteri fuerunt subiecti. Ideoque & ab Episcopo urbis ordinari consueverunt. Concil. Antioch. c. x. Hos vero vicinos Presbyteros nomen Episcopi aliquandiu retinuisse, canonum monumenta loquuntur. Minus quidem hi poterant, quam Episcopi civitatis, plus vero quam urbani Presbyteri, quibus etiam in concil. Ancyr. c. 13. opponuntur. Episcopalia enim jam tum exercuisse videntur, dum sine autoritate & permisso Episcopi superioris seu urbani Presbyteros & Diaconos ad tempus ordinarunt, quod e capitulo xii. Concilii Ancyrani esse potest perspicuum, quod inde modum Chorepiscopis istum ponit *Chorepiscopis* (temere & perperam verterunt Vicariis Episcoporum) non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, vel sine autoritate literarum ejus in unaquaque parocchia (aliquid agere.) Quoniam hujus canonis tres illæ versiones, quæ existant, omnes a Græco discedunt, Græcum, velut ipsum fontem, lubet subjungere: *χωρεπισκόποις μὲ ἐξείναι Πρεσβυτέρους Διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μὴδὲ Πρεσβυτέρους πόλεος χωρὶς τῆ ἐπιτροπῆναι ὑπὸ τῆ ἐπίσκοπος μετὰ γκαμάτων ἐν ἐκείνῃ παροικίᾳ.* Hinc manifestum, ante hoc decretum Chorepiscopos ordinasse Presbyteros & Diaconos, quod jure humano & Ecclesiastico paulatim Episcoporum proprium factum est; idque absque autoritate & consensu Episcopi, cui suberant, peregisse. Permissum vero illis est, Lectores, Subdiaconos atque Exorcistas constituere, teste canon ex synodi Antiochenæ, qui ita in tomis Concilio habetur: *Chorepiscopi, qui manus impositionem ab Episcopis susceperunt. Et Episcopi sunt consecrati, tamen placuit sanctæ synodo, eos modum proprium retinere-- Constituire autem his permittitur Lectores, Subdiaconos atque Exorcistas, quibus sufficiat istorum tantum gradum per licentiam accepisse.*
Non

Non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare, præter conscientiam Episcopi, civitatis vel Ecclesie, cui adjacens invenitur, seu ipse, seu regio, in qua præesse dignoscitur. Tandem verone vel nomine tenus Chorepiscopi Episcopos suos exæquarent, Patres synodi Laodicensæ can. LVII. decreverunt, ut pro Chorepiscopis ΗΕΠΙΟΔΕΥΤΑΙ appellarentur. Canon iste vult, non devee in villis & vicis Episcopus ordinari, sed πρεσβυτερος (i. e. visitatores seu potius curatores) constitui. His autem, qui ante hoc ordinati sunt, nihil agendum esse sine consensu Episcopi civitatis. Hæc Chorepiscoporum, qui in V. Ecclesia claruerunt, ratio, hæc conditio fuisse videtur. Contra hunc ordinem insurrexisse, imo antiquare eum conatus perhibetur Damafus, Episcopus Rom. eleganti & terfo ingenio conspicuus Literæ, quæ sub nomine ejus ad Episc. Numidiæ exstant videntur fictitiæ. In illis personatus Damafus in Episcopos excaudescit, quod Chorepiscopis, tanquam mercenariis, oves suas committere non reformident, ipsi interea otio torpeant. Hactenus quidem fortassis non male. Sed ratio, quam affert, lane infirma est, imo nulla, dum contendit, Episcopos Apostolis, Presbyteros LXX. Discipulis, Chorepiscopos autem neque his neque illis succedere, adeoque improbam & nimis pravam horum esse institutionem, Christique ordinationi adversam, qui duos duntaxat ordines instituerit, quibus omnes veri Ecclesiæ præfules succedant, Apostolorum & LXX. Discipulorum. Sed Christi illud institutum e Sacris literis demonstrari nullo modo posse, supra thes. xvi. innuimus. Vid. de hac epist. judicium Lucæ Osandri in epitome hist. Eccles. Cent. iv. l. 3. c. 40. Idem de ista ferendum videtur, quam Damafum ad Africæ Episcopos scripsisse perhibent, cujus pars aliqua c. Chorepiscopi dist. 68. habetur.

LI. Alii in alia sunt sententia puta quod Chorepiscopi fuerint Episcoporum vicarii ad hoc peculiariter instituti, ut minores ordines conferrent, inter Episcopos & Presbyteros, quas inter medii. Huic sententiæ equidem non repugno; sed annon iis præsertim temporibus, quum nullum inter Episcopos

piscopos & Presbyteros discrimen esset, atque ante tempora conciliorum Ancyrani & Niceni, vicinarum Ecclesiarum ministri, quos Chorepiscopos dixerunt, veri fuerint Episcopi i. e. ordinare etiam potuerint Presbyteros & Diaconos, de hoc utique ambigendum existimo. Verum libero Lectoris iudicio hæc relicta malo.

LII. Ceterum recentiores illos Chorepiscopos, quorum ordo superioribus seculis abolitus videtur, & illos, qui hodieque in Germania & Gallia superesse memorantur, der Chorbischoff zu Cöln und der Chorbischoff zu Trier / aliosque, qui cum sint Episcopi titulares a magnis Episcopis veluti ministri adhibentur, adducimus, illos, inquam, veteribus istis Chorepiscopis successisse, non fit vero simile.

LIII. Tripartitum Episcoporum ordinem jam contemplati ad illorum constitutionem, qui Episcopi simpliciter seu *κατὰ ἑξοχὴν* dicuntur, transimus cujus præcipua species est *Electio*. Non enim nascuntur tales aut succedunt, quod fortuitum, adoptandi vero iudicium, & si velis eligere, consensu monstratur, uti in egregia ad Pisonem oratione apud Tacitum Galba loquitur. Successionis in episcopatum vestigia certe pauca, & tantum in aliquibus Ecclesiis reperire licet, si fidem habeas vetusto Commentatori epist. ad Ephes., qui obtinuisse primum scribit, ut recedente uno Episcoporum, sequens Presbyter ei succederet. Postea quum successores sæpe indigni fuerunt inventi, immutata est hæc ratio, ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temere usurparet, & esse multis scandalum. Nos porro, quæ circa creationem magistratus civilis expendi solent, eadem tria circa Episcoporum electionem investigabimus: primum quinam potestatem Episcopos eligendi habeant, deinde qui, seu e quorum numero, & quibus denique modis Episcopi eligantur. Observandum autem & præcognoscendum est, negotium Episcopos eligendi juris divini non esse, sed omne illud juri positivo & humanæ prudentiæ

prudentiæ commissum, modo tamen in Ecclesia omnia ordine ac decore peragantur.

LIV. Quod ad primum attinet, ab initio nascentis Ecclesiæ jus eligendi Episcopos ad Cleri & Populi suffragia pertinuisse, manifestum est ex antiquis Patrum monumentis, Conciliorum decretis, Pontificum Romanorum epistolis, & variis demum rebus in Ecclesia gestis. Ignatius ad totam Ecclesiam Philadelphensem scribens: *Decet vos, inquit, ut Dei Ecclesiam, eligere Episcopum, qui obeat legationem Dei.* Epist. 6. Cyprianus illum verum & legitimum Episcopum in Ecclesia censet, qui post divinum iudicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, suam Cathedram obtineat. lib. I. epist. 3. Idem ep. 3. lib. ejusdem: *Propter quod, inquit, diligenter de traditione divina & Apostolica observatione servandum est, & tenendum, quod & apud nos & fere per universas provincias tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provincie, proximi quique conveniant: & Episcopus deligatur, plebe præsentem, qua singulorum vitam plenissime novit & uniuscujusque actum, de ejus conversatione perspexit. Vbi pariter observandum, Electionem, quæ sit a clero & populo, traditioni divinæ & Apostolicæ perperam a Cypriano adscribi. Hieron. Euagr. ep. 86. Nam & Alexandria a Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum in excelssiori gradu collocatum Episcopum nominabant. De electione, quæ penes clerum, ibi agit. De electione, quæ penes populum fuit, idem in Ezech. c. xxxiii. Terra est Ecclesia, quæ sæpe de novissimis suis speculatorem eligit:--Speculator autem Ecclesiæ vel Episcopus vel Presbyter, qui a populo electus est,--unde magnopere formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni, & assumpti a populo negligentia nos demus atque desidia Johannes Chrysostomus, Christianorum Pericles, a populo & clero Episcopus electus est, teste cum multis aliis Sozomeno hist. Eccl. l. viii, c. 2. Carolus Magnus & Ludovicus f. permittunt, ut Episcopi per electionem cleri & populi, secundum statuta cano-*

num, de propria Diocesi, eligantur. Quid in hoc genere in conciliis statutum sit, canones eorum expendenti non est obsecurum. E Niceno concilio Episcoporum electionem, quæ a parte plebis, diserte probari non posse, concedo quidem Cardinali Bellarmino, qui plebi jus eligendi adimere conatur l. r. Cler. c. 7. At inde non sequitur, populo jus illud creptum. Imo virtute istud in concilio illo inclusum esse, inde liquet, quod Patres & ipse Præses Concilii illius Constantinus Magnus, electioni a populi parte adstipulentur, testibus Eusebio de vita Constantini M. l. m. c. 58, 59. 60. Theodoro hist. l. r. c. 9. Et si canone aliquo universali populo potestas sive consuetudo Episcopum eligendi adempta fuisset, tot seculis post in Episcoporum constitutione plebis ratio non fuisset habita. Quæ in aliis Conciliis Ecclesiasticis de hoc genere sancita sint, jam compilare, non opus esse arbitror. Certe enim e pauculis hisce, quæ jam attuli satis evidens videtur, quod ex quo Episcopi a Presbyteris fuere distincti, per aliquot secula a clero & plebe Episcopi fuerint electi.

LV. Simulatque vero Imperatores, Idololatria valere iussa, Christo nomen suum dedere, ex eorum nutu Ecclesia etiam negotia pendere visa sunt, uti Socrates ait in proœmio l. v. hist. Eccl. Hinc juris sui recte existimarunt, ut Episcopos non solum, sed & summos Pontifices suo arbitratu Ecclesiis darent. Sic Liberium Papam Constantius Imperator Episcopatu Romano donavit, teste Platina in Ejus vita. Theodosius Junior Nectarium in locum Gregorii Nazianzeni succedit, & licet postea istum Baptismatis expertem cognosceret, in sua tamen sententia persistit, multis quidem sacerdotibus reluctantibus, obsequendum tamen Imperatori existimantibus. Sozom. l. vii. c. 8. De Pelagio II. refert Platina, quod cum is injussu Imperatoris creatus esset Episcopus R. Gregorius Archidiaconus Constantinopolim missus sit, ut illud excusaret, quod extra obsessam ab hoste urbem mitti quispiam non potuisset. De Gregorii I. electione idem hæc memorat: *Is, quum Princi-*

Principis confessus requireretur, nuncios cum literis miserat, qui Mauritium obsecrarent -- Intercepta sunt literæ a præfecto urbis ac discepta, scriptæque alia quibus rogabatur, ut quem populus ac clerus in Pontificem legisset, eundem Imperator confirmaret. -- Remittit aq̄e Mauritius nuncios, ac quidam propeve, qui Gregorium confirmarent -- Vid. Baron. Tom. viii. Annal. a. 560. Sub Cheriberto Francorum Rege aliquando accidit, ut Leontius Archiepiscopus Emericum suffraganeum suum certa de causa ab Episcopatu removeret, aliumque substitueret, quem quum ad Regem investituræ impetrandæ ergo ablegasset, Rex asperius hunc appellans; Quis, ait, Archiepiscopo vestro & Synodo Episcopum a Lothario, Patre meo investitum deponendi fecit copiam? Puras tu (sunt verba Regis) non esse de filiis Lotharii, qui Patris facta custodiat, quod hi Episcopum, quem ejus voluntas elegit, absque nostro judicio projecerant? His dictis, confestim novellum hunc & præmaturum Episcopum curru sentibus onusto in exilium proficisci, Archiepiscopo autem gravem mulctam irrogari jussit. Gregorius Turon. hist. l. 4. c. 26. Plura exempla, re tam manifesta, apponere non lubet. Complura Baronius, Autores Centur. Magdeb., G. Turonensis, M. Ant. de Dominis, Thomas Bilsonus, C. Lehmannus, aliiq̄e permulti effuse citant.

LVI. Futile commentum & impudens est mendacium, a quo contra verum stat Cardinalis Baronius, pro extollenda Pontificis Romani majestate asseverans, Tom. viii. Annal. sub A. C. 549. jus præficiendi Ecclesiis Episcopos a Regibus isto seculo tam in Oriente quam Occidente fuisse præsumptum. Et Tom. ix. sub A. C. 752. *Cum legas, a Regibus Ecclesiis esse datos Episcopos totum id factum, non jure proprio, (quod nullum penitus in rebus Ecclesiasticis habent) Sed CONCESSIONE APOSTOLICAE SEDIS, unde erubescant mentientes Politici novatores, cum Ecclesias subjiciant Regibus. Sed quomodo præsumi aliquid a quopiam dici potest, quod optimo jure jam ei competit? quomodo jus, quod quis jam habet, ei demum concedi dici potest? Et vero nullum documentum concessionis ejus-*

E

modi

modi Pontificiæ proferrii hætenus potuit. Quod e Lupi Ferrariensis epistola quadam de Pipino Rege & Zacharia Pontifice adducitur, si rem ipsam videas, quod probandum erat, nequaquam evincet.

LVII. Per se vero electionem Episcoporum ad Imperatores, Reges, omnesque eos, qui summam in republ. habent potestatem, spectare, quatuor his patet argumentis. Majestati civili primo omnium *ἡ περὶ τὸ Θεὸν ἐπιμέλεια*, religionis cura, incumbit, teste Aristotele VII. Polit. 8. Religio enim, quæ in recto divini Numinis cultu ac sacrorum usu consistit, maxime externam juvat politinam & incredibili Regibus seu Principibus est adjumento, ad subditos sibi populos bene regendos, eosque ad felicitatem civilem dirigendos. Hinc planum est, ea etiam, quæ ad Religionem spectant, suo modo, ut ad beatitudinem humanam & naturalem conducentia, ad Principes pertinere, eorumque esse quicquid reipublicæ proficit, officit, promovere, amovere modo, non sit contra Deum; tales item eligere & constituere, qui Sacris rite præsent. Princeps in electione Episcopi se habere videtur instar optimi cujusdam patris, qui quidem, ut pater, non teneri videtur, ut ipse filios ad optimas quasque literas animique perfectrices disciplinas instituat, tenetur tamen præceptorem peritum juxta atque industrium eligere, cujus fidei filios committat: ita Principis quidem, qua talis, non est subditos verbo Dei pascere, ipsorumque fidem sacramentis munire & similibus sacris se immiscere, (alias timenda ei erit Saulis abjectio, timenda Vfiæ lepra) incumbunt tamen ipsi externa adjumenta, inter alia, Episcopos & fideles sacrorum ministros eligere, quorum cura subditi pariter etiam ad æternam & cœlestem beatitudinem pervenire queant.

LVIII. Deinde salva esse nequit respublica, nisi Principes in eorum electione, quibus Ecclesia regenda committitur, rationem aliquam habeant, nisi curent ac prospiciant, ut civibus natis, concordia amanibus, legibus reipublicæ affectus,

assuetis, & talibus omnino, qui presentem statum conservatum velint, Ecclesiasticum regimen commendetur. Incumbit itaque Principibus, ut tales constituentur, extraneis vero, suspectis aliisque sacramento obstrictis, aut illis, quibus fidere non possint, aut a quibus timantur, aditus, ut ad omnes dignitates, ita ad Episcopatum praedatur, ne reipublicae tranquillitas detrimenti quid capiat.

LIX. Praeterea summorum in rep. Principum est constituere Episcopos nomine *juris patronatus*, seu bonorum, quibus Ecclesias magnifice dotarunt, quae quoniam sunt sub potestate & tutela Principum opera danda est, ut, quos ipsi idoneos censuerint, his ea committant. Quamdiu Ecclesia caruit bonis temporalibus, praesertim immobilibus (caruit autem illis, quum Episcopi & clerus omnis ex largis fidelium oblationibus viverent,) non erat, quod Principes se in Episcoporum electionem ingererent; sed Ecclesiis dotatis, & cleri superbia se erigente, Principes in eligendis evehendisque Episcopis recte operam suam adhibere ceperunt. Tandem, quum monente Apostolo I. Tim. III. 7. nemo praeficiendus sit Ecclesiae, nisi bono instructus testimonio, etiam ab exteris, quanto magis a fideli plebe? Hujus igitur assensus cum ab electione Episcopi non sit arcendus, ut in anterioribus ostensum, totiusque plebis caput existat Princeps, si membrorum, multo magis in Episcopi electione capitis ratio habenda erit, i. e. Principis, loco totius plebis, quae alioquin multorum capitum est bellua & confusio num parens.

LX. Hisce jam positis, concludimus, quod Principes non modo Episcoporum, verum etiam Archiepiscoporum, ipsorumque etiam Pontificum eligendorum curam recte ad se pertinere existiment, eamque usque ad Henrici IV. Imperatoris seculum optimo jure sustinuerint. Ratio plebis & cleri tum ita habita est, ut plerumque Episcopos ab his electos Principes investirent & confirmarent. Quod si clerus & populus se praegravari vidissent, reniti interdum potuerunt,

Ludovico Pio ita faciente. Nihil omnino hac in re juris ultra mille & sexaginta annos R. Pontifices habuerunt, donec Hildebrandus, qui & Gregorius VII. appellatur, in cathedram Pontificiam se ingessit, nullo quidem Regis consensu accedente, id enim pro illa etate nefas sunt arbitrati, (Crantz. Sax. l. v. c. 6.) ab Imperatore vero Henrico IV. dein confirmatus, ut Imperatorum mos erat, ut verbis Platinae hoc loco utar. Hic Papa factus in ipsam regiam potestatem exsurgere non timuit, ut Imperator Henricus IV. in epistola quadam de ipso queritur, jura Principum secularia, in primis investituram, inter regalia fere potissimum, adeoque totius imperii semissem ad se pertrahere & Romanae curiae asslerere molitus est, Imperatorem obnitentem bruto Anathematis fulmine percussit, idque exemple plane inaudito, quod praesertim Otto Frisingensis fatis admirari nequit, ita enim l. VI. Chron. c. 35. *Lego & relego*, inquit, *Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nunquam invenio quemquam eorum ante hunc a Romano Pontifice excommunicatum vel regno privatum.* Subditos idem rebelli ausu absolvit omnes a juramento, qui fidem Regi juraverant, ut contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio, testante & ita loquente Autore vitae Henrici Imp. Inde impii illi in synodo Romana vibrati *Dictatus*, quod Papae liceat Imperialibus insigniis; quod a fidelitate iniquorum subjectos absolvere possit; quod sententia illius a nullo retractari debeat, & ipse omnium solus retractare possit; quod unicum sit nomen in mundo, Papae videlicet; quod universo clero interdicendum sit conjugio; Haec & similia monstrosa decreta contra morem majorum, contra leges divinas & humanas Satanae ille, non Christi Vicarius, eructavit, Henrico Imperatori Rudolphum Svevum substituit, oblato cum hac in scriptione diademate: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho*; qui tamen Rudolphus paulo post in conflictu manum & dein vitam amisit. Qui, ut obiter commemorem, moriturus quum manum abscissam intueretur, graviter suspirant dixisse fertur ad Episcopos, qui aderant: *Spectate dextram legitima supplicia*

plicita expendentem, qua fidem Sacramento munitam & Heinrico Domino meo datam, vobis urgentibus, prater equum & fas, temere violavit: videte, qui me contra Dominum meum solum ascendere fecistis ut recta via me, vestra monita sequentem, duxeritis. Quibus dictis exspiravit. Imperator vero Guibertum Ravennatem in Wormatiensi synodo Hildebrandi successorem designavit. Quanta autem mala (verba Ottonis Frisingensis mea facio) qua bella bellorumque discrimina inde subsequuta sint, quoties misera Roma obsessa capta, vastata, quod Papa super Papam, sicut Rex super Regem, positus fuerit, tadet memorare. Denique tot mala, tot schismata, tot tam animarum, quam corporum pericula, hujus tempestatis turbo involvit, ut solus ex persequutionis immanitate, ac temporis diurnitate ad humana miserie infelicitatem sufficeret comprobendam. Unde a quodam Ecclesiastico scriptore, densissimis Aegypti tenebris comparatur. Chron. l. vi. cap. ult.

LXI. Scilicet hoc tum agebatur, ut, Imperii majestate eversa, Pontificia cathedra eveheretur. Acriter quidem se opposuit Henricus iv. & filius ejus Henricus v. longe acrius, quem Paschalis ii. in Patrem concitarat. Is enim, quum a Paschale Investituras, sine quibus Imperium minus saluum esse posse sentiebat, recipere non posset, carceribus istum mancipavit, donec sacrosancte & sub anathemate promitteret, Imperatoribus de investituris nunquam lites motum iri. Papa vero fidei datae immemor, altero statim anno in synodo Lateranensi transactionem rescidit, & monstrosis Hildebrandi decretis renovatis, Imperatorem fulmine Anathematis feriit; cujus exemplum sequutus Callistus ii. fulmine isto Imperatorem adeo adegit, ut haec omnia, quae tanta sanguinis humani copia defensa erant, in manus legati Pontificii tandem resignaret, testibus Vrspergense, O. Frisingense, Cranzio & aliis compluribus.

LXII. Hoc saltem, ex pacto & conventu cum Calixto Papa inito, Imperatori mansit reliquum, ut, animis in partem hinc inde distractis, arbitrii Caesarei esset, saniori parti

consensum atque auxilium prestare. seu, ut O. Frising. l. ii. de gestis Frid. l. c. 6. loquitur, *Episcopum, quem voluerit, ex Primatum suorum consilio ponere, nec electum aliquem ante consecrandum, quam ab ipsis manu regalia per sceperum susciperet.* Exempla quæ idem attestari possint, jam laudatus Otto, ut & Radevicus, Trithemius, Crantzius, Albertus Stadenfis, Baronius aliique complures dilucide subministrant. Majestate Imperatorum sic accisa, jus suffragii in eligendis Episcopis populo seu Laicis pene ademptum legimus, *novo Canonica electionis genere exinde nato, quo, populi & ceterorum clericorum suffragiis neglectis, eligendi jus Episcopos ad majorem & sanioerem partem Capituli transferebatur c. 48. Ecclesia vestra. c. Cumana c. in Genesi legitur c. 57. Ecclesia vestra de Elect. potestat.* Interea male feriat Pontifices, turpissimis pecuniæ extorquendæ artibus excogitatis, Bullis, Annatis, Pallio, Reservationibus, Provisionibus, Gratiis expectativis aliisque pluribus monstris regna amplissima, præsertim Germaniam, exinanierunt, omnes fere ejus opes Romam transportare moliti non divini cultus propagandi ergo, non ad pauperum sustentationem, ut vane obtundunt, sed ad humanum fastum & luxum, atque ad terrena dominia conquirenda. In quam pestem Romanæ curiæ Bernhardus non semel invenitur. In epistola ad Eugenium Papam alicubi exclamat: *Quis mihi det, antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum? Quam cupio illius te hereditare vocem, cujus adeptus es sedem? Pecunia, inquit, tua tecum sit in perditionem. o vox tonitrus, o vox magnificentiæ & virtutis, ad cujus terrorem confundantur & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion. Hoc vehementer expectat, & omnino expetit a te mater tua: hoc filii matris tuæ pusilli cum majoribus desertaerant: hoc suspirant, ut omnis plantatio, quam non plantavit Pater Cælestis, tuis manibus eradicetur.* Hæc Bernhardus. Petrus Damianus Cardinalis & Episcopus Ostiensis rhythmis istis insatiabilem R. Pontificis avaritiam perstringit: *Hæc*

Epist. 237.

Act. VIII.

20.

Heu sedes Apostolica,
 Urbis olim gloria!
 Nunc pro dolor! efficevis
 Officina Simonis.
 Terunt incudem mallei,
 Nummi sunt Tartarei, &c.

Idem de sede Romana in Epigrammate quodam pariter
 ludit:

*Cæli Roma seras tenet, & regit orbis habenas,
 His si plura velit, Tartara sola petit.*

Ipsæ Aeneas Sylvius, antequam Pius sc. fieret; *Nihil est, inquit, quod absque argento Romana curia dedat. Ipsa manuum impositio, & Spiritus Sancti dona venduntur.* Verum non est, quod aliorum partim querelis, partim irrisionibus in iniquam illam *χειραγωγίαν*, ad quam Romanæ hirudines unice incumbunt. recensendis diu immorer. Non sunt enim ignotæ. His firmandis peridonei erant Canones omni ævo hætenus Ecclesiæ incogniti, primum a falsaria impuri scriptoris manu profecti, atque ementito venerandæ antiquitatis titulo Ecclesiæ Occidentali obrufi. Ejus notæ sunt Decretales, Clementinæ, Extravagantes, & quæ reliqua Decreto Gratiani annata sunt; a quo jure profecto plus longe mali est enatum, quam boni. De Pontificii juris canonibus ac scriptis suppositiis vid. Summi Viri H. Conringii censura l. de Origine juris Germ. cap. xvi. & xxvi.

LXIII. Acriter quidem repugnarunt artibus ac tyrannidi Pontificum Imperatores, cum primis Otto iv, Fridericus II, Ludovicus iv, Heinricus vii. & Carolus iv, sed parum feliciter. Ne infinitum testimoniorum nobis moles excrescat, quam detestati præsertim sint Germaniæ Principes ac Status tyrannicos Paparum ausus, testari inter plurima alia possunt *Avijamenta*, ut vocarunt, per deputatos provinciarum nationis Germanicæ in *Synodo Constantiensi* an. MCCCXVI. octo capitulis concepta; quæ quidem felici carere successu. Idem testari possunt. *Avijamenta*, seu ea, quæ anno MCCCXXXVII, tempore

tempore concilii Basileensis a Statibus imperii *Moguntia* publico in confessu fuere deliberata, quum præsertim abolitas vellent *Annatas, Reservationes, item omnes sumptus pro Palliis, Confirmationibus; aliasque malas Papæ artes, quibus Germaniam deglubebat.* Flacius Illyr. catal. Testium Verit. Melchior Goldastus, vir de rebus Germaniæ optime meritus, in Constit. Imp. tom. 1. Avisamenta hæc Moguntina, si quid, hoc certe impetrarunt, ut *Reservationes* quodammodo abrogarentur, & Eugenius iv. Iudicio Synodi obfistens a synodo damnaretur. Si Germani ad rem suam, ut Galli, tum attentiores fuissent, capistrum servitutis Romanæ facili negotio excutere potuissent. De Gallis ita F. Duarenus: *Post tantas tamque diutinas concertationes, hoc jus, quod Regaliorum appellatur, in sacra beneficia solum retinuerunt Reges nostri, & credibile est, eos ita decidisse, ac veluti transegisse cum Romanis Pontificibus, cum totum obtinere, quod petebant, ipsis non liceret. Certe illud jus concilio Lugdunensi primum, cui Bonifacius viii. præfuit, c. generali, de election. in 6. deinde Basileensi probatum atque confirmatum est.* De sacr. Eccles. ministr. ac benef. l. iii. c. ult. quod caput totum agit de conferendorum beneficiorum jure, quod Rex in Gallia habet, & unde id jus, quod Regalia dicimus, ortum habuerit.

LXIV. *Imperatorum autem causa, inquit l. d. jam laudatus Ictus, victa, indignatio tamen manebat & querela, donec Fridericus iii. Imp. cum Nicolao V. Papa certa iniit pacta, quæ vulgo Concordata Nationis Germanicæ appellant. Laus egregia Friderici, quod concordiam Ecclesiæ restitui curaverit, sed magis egregia, si quod tum potuisset, Ecclesias in libertatem vindicasset, nec æquis adeo oculis vidisset, quod priores non poterant, de visceribus Imperii alios incrassatos.* Albertus Crantzius Metrop. Sax. l. ii. c. 33. Ferendum saltem, si id obtinuisset Concordatis suis, quod Gallorum Rex *Sanctione sua Pragmatica, quam pro libertate nationis suæ feliciter confecit.* Vid. Davidis Blondelli de jure plebis in regim. Eccles. dissertatio p. 64. & seqq. Quod si ipsa Concordata inspicias,

spicias, *Reservationibus* quidem præsertim *c. Execrabilis* modum quendam statui vides, sed an in libertatem aliquam Ecclesia atque Imperium Germanicum ex toto vindicata sint, equidem non video. Nam de integro omnes Archiepiscopi atque Episcopi Papali throno, ceu Vasalli, subjiciuntur, ita ut his regalia concedi non possint, nisi a Papa confirmatis. §. 2. Zum andern behalt ihm der Pabst die Lehnung aller Patriarchen/ Erzbischöff/ Bischöffn/ Kirchen/ Klöster/ Prioraten/ Wörden/ Personaten/ Empter/ auch Thum und Stifftpfünden/ Prebenden/ und andere Geistliche Lehen &c. Goldastus T. 1. Constit. Imp. fol. 211.

LXV. Quomodocunque Concordata ista formata sint, nihil præjudicii Imperio & Successoribus afferre possunt. Tantum enim inter Pontificem & solum Imperatorem cum Principibus oppido paucis inita sunt; qua etiam re minus recte *Concordata nationis Germanica* vulgo appellantur, cum a plerisque Imperii Germanici Statibus non usque adeo sint approbata, teste Casp. Hedion. *Eccles. hist.* l. II. c. 21. So ist doch nichts destominder durch des Pabstums beharlichen Geiſt mit häſſtigen Praericken und ansuchen fortgefahven/ und wiſſen dem/ mit damals König Friederichen/ und sonst eglischen wenigen Geistlichen Fürsten auf die Mittel/ durch den Pabst fürgeschlagen/ inhalt des Vertrags berühmte Abrede oder Beschluß geschehen/ welchen die übrigen und der Mehrertheil der Fürsten/ wie vorstehet/ nicht bewilliget. Welcher vermeinter Vertrag also ohnwiſſen und ohnwilligen des mehrertheils der Teutschen Fürsten und Stände unter dem Nahmen Pabst NICOLAI V. -- aufgerichtet &c. Imo utor verbis, quamvis pluscula sint, Caroli Molinæ Icti in Commentar. Anno MCCCCLV. audita morte Nicolai V. qui Fridericum III. coronaverat, Germani miseram sortem suam desentes, persuadere nixi sunt Imperatori, ne Pontificibus Romanis amplius obtemperaret, nisi saltem quædam ad Pragmaticam tendentia prius ab eis impetrasset. Ostendebant enim, suam longe (sed immerito) deteriozem esse conditionem Gallis vel Italis, quorum servi (Italorum imprimis) nisi

res immutarentur, merito dicebantur. Rogabant, urgebant Proceres populi que Germania, gravissimis tum rationibus tum exemplis, tum utilitatem, tum necessitatem Imperii. -- His rationibus visus & permotus Imperator, non minorem suis, quam Rex Francia Gallicis, Pragmaticam facturus erat, nisi gravissima (verba sunt Platina in Pio II.) Aenea auctoritas intercessisset, cujus hac fuit apud Casarem sententia: Inter Principes, ait, etiam de magnis rebus inter se dissidentes, pacem aliquando & amicitiam componi posse: at inter Principem & Populum immortale odium semper intervenisse. Quare satius sibi videri cum Pontifice sentire. -- Viden, qua arte, quo machinamento, quo ariete venenata illa lingua Imperatorem venenis suis infecit & dementavit? Neque etiam Pontifices ipsi Concordatis istis integra fide steterunt, id quod Gravamina Maximiliano Imperatori anno MDX. exhibita, ut & centum illa Gravamina in Comitibus Germanorum Principum anno fere MDXXII. Norimbergæ proposita, satis docent. Vnde etiam cum omnis conventio rebus ita stantibus intelligenda sit, Concordata, ut & omnis Pontificia jurisdictio, in Transactione Passaviensi suspensa sunt, & merito oblitterata.

LXVI. Ab Electione accurate discernenda est Investitura, quæ vox proprie de feudis usurpatur; est vero hac in materia nihil aliud, quam confirmatio Episcopi de potestate Imperatoris seu Principis a clero & plebe electi seu nominati, a Christianis Imperatoribus per annulum & baculum olim facta. Per annulum indicabant Imperatores, se hunc hominem huic Episcopatu obstringere, per baculum (Germ. vocant den Bischoffs Stab) se huic jurisdictionem Ecclesiasticam h. e. judicium de sacris cum publico quodam imperio conferre. Sua nimirum officii signa responderunt. Neque enim credendum, tam stolidos fuisse Reges, ut pro nudo ritu tot labores, tot etiam bella susceperint. Per signa itaque illa simul res signata, nimirum Ecclesiarum collatio, intelligenda est. Vid. H. Grotius de Imperio summarum Potest. circa Sacra c. x. Istud Investituræ genus Henricus v., ut supra innui, Calixto III. fulmine ejus bruto adactus cessit, sibi-

sibi que reservavit, quod fit per sceptrum. Inde Episcoporum Scepter & Leh'n habet originem. De quo plura apud Goldastum & alios.

LXVII. Tribus primis seculis nullos Episcopos ab Imperatoribus electos & investitos, nemo mirabitur, cum Imperatores vel perduelles essent Ecclesiæ, vel eam longe infra curas suas tum ponerent. Quæstionem aliquam aspergendi jam datur occasio: *An Episcopus seu Presbyter a Principe infideli aut hæretico electus in Ecclesia sit tolerandus?* & Episcopum & universè quemvis verbi divini ministrum a Rege aut Principe, quamvis infideli, sive hæretico electum, non esse omnino repudiandum, dummodo is, qui eligitur, vero Episcopi officio fungatur, atque Ecclesiæ *δομναστικῆ καὶ χερσοδεστικῆ* relinquatur. Deus enim Opt. Max. per malos opus bonum sæpenumero peragit; præterea si duobus malis aut incommodis propositis eligendum est, quod minus tale, utique melius videtur, sacrum Ecclesiæ antistitem a Principe infideli & hæretico constitui, quam, ut ad vastitatem atque exilium Ecclesia vocetur, permitti. Artaxerxes, Rex paganus, Esdræ munus instaurandi cultus divini imponebat, qui hoc tamen nomine munus istud minime defugit. Et vero quis Ecclesias in Aegypto, Thracia, Syria damnare facile aufit, quarum Patriarchas & Episcopos minores infidelissimi. Reges investiant? *Sic Pontificatus quilibet, quomodo Bulgarensis, dependet a Principe illius gentis: Triballensis similiter a suo Principe: Antiocheno v. Patriarcha Armeniorum Rex dominatur: Hierosolymitano autem & Alexandrino. Aegyptiorum impiissimus Princeps. Nullus enim horum Pontificatum recipit non probante, & decernente & consentiente suo seculari Principe: Magis autem & plurimum & omnibus, ad quos spectat electio, voluntate venientibus, & cum Principe discordantibus, necessarium est finaliter, eum, qui quem vult Princeps, eligi.* Ita Barlaamus Episcopus Cyrenensis, cujus hæc verba Hugo Grotius in Dissert. de Imp. summ. Potest. circa Sacra recitat c. x.

LXVIII. Duo adhuc sunt, quæ in quæstionem voco; Primum, an sit ex usu Imperii nostri, ut Episcopi a Pontifice Romano constituantur. Deinde, an utile sit Imperio, a solo Imperatore Episcopos constitui. Ad primum illud ut respondeam, pono hic, quod Aristoteles iv. Polit. c. xiv. ostendit, rempublicam bene affectam esse, bene affectis, qui de republ. consultant; Episcopi autem si a Pontifice Rom. constituantur, male affectum esse nostrum Imperium, liquet, quia illi dimidiam fere partem Ordinum Imperii constituunt & ad Comitia seu gravissimas deliberationes admittuntur; Pontifex autem est Princeps extraneus pariter ac potentissimus: ab hoc igitur si summi Consilarii Imperii nostri, quales Episcopos esse diximus, eligantur, iique Pontifici juramento obstringantur dubium, est annon a partibus Pontificis contra Imperium statuti sint, præsertim si rebus Imperii Papa adversetur, & Imperatorem excommunicet, ut sæpe ausus est. Indignum igitur esse majestate Imperatoris, nec periculo levi Imperium exponi, si a Pontifice Episcopi, quæ hodie sunt Status Germaniæ, constituantur, hinc intelligere datur.

LXIX. De altero illo, quod in quæstionem venit, mentem meam ita expono. Episcopus, ut hodie conspicitur, duas q̄. sustinet personas, Antistitis Ecclesiæ & Principis Secularis. Ut est Ecclesiæ antistes, in ejus electione non solum Imperatoris, sed etiam cleri & plebis habenda est ratio, sicut antiquitus habita. Hoc autem nomine, quo Episcopus, velut Princeps, consideratur, seu respectu regaliū, ut quæ Imperio propria sunt, jure sibi Imperator Episcopi constitutionem vindicat. In universum itaque hoc etiam concludo, constitutionem Episcoporum bene se habere, si Imperatori in ista sua constet majestas, Cleri item & Plebis nonnulla habeatur ratio, imprimis Imperii Salus, quæ suprema lex est si Imperatori sit curæ ac cordi; & si regalia, quæ Episcopi exercent, Imperio restituantur, electionem ad priscum morem revocatum iri, eamque ex usu cum Ecclesiæ tum Imperii fo-

re,

re, existimo. Tantum de illis, qui Episcopum eligendi potestatem habent. Recta ad illos pergimus, qui eligendi Episcopi.

LXX. Non est sine re & inane Episcopi nomen, sed est functio, & quemadmodum Apostolus ait, *Opus*, & quidem arduum, difficile & periculosa alea plenum, & vel hoc nomine *præclarum*: fere enim juxta tritum illud, *quæ difficilia, eadem præclara*. Quod opus qui peragunt, eos Christi, summi animarum Pastoris atque Episcopi personam sustinere, omnemque curam atque operam ad animarum salutem, quas is pretioso suo sanguine mercatus est, procurandam conferre oportet. Hoc vero sine singulari doctrina & prudentia, sine summis virtutibus præstari nequit. Virtutes Episcopi eligendi Paulus Apostolus eximie depingit I. Tim. III, 2. 3. 4. 5. 7. Esse talem vult *irreprehensibilem* (*ἀνεπιληπτον, ἀνεγκλητον*) *enim* uxoris virum, *vigilantem*, *sobrium*, *modestum*, *hospitalem*, *aptum addocendum*, *non vinolentum*, *non percussorem*, *non turpiter lucri cupidum*; *sed æquum*, *alienum a pugnis*, *alienum ab avaritia*, *qui suæ domui bene præsit*, *qui liberos habeat subditos cum omni reverentia*, *non novitium*, *ne inflatus incidat in iudicium caluminatoris*, *ut bonum testimonium habeat ab exteris*, *ne in probrum incidat* & *laqueum caluminatoris*. Idem præterea in Tit. I. v. 7. 8. 9. Episcopum vult esse *non superbum*, *non iracundum*, *sed justum*, *pium*, *temperantem*, *tenacem ejus*, *qui secundum doctrinam est*, *fidelis sermonis*, *ut potens etiam sit exhortari per doctrinam sanam*, & *contradictentes convincere*, (*ἐλέγχειν, ἐπισκοπίζειν*) quas Episcopi notas dum Apostolus enumerat, utroque in loco ita ponit, ut a qua orditur, in ea desinat, scilicet ut in omnibus vitæ officiique partibus Episcopus sive Presbyter (tum enim unum idemque erant) se irreprehensibilem præbeat. Elegans sane est *Ἐπιφώνημα*, quo Episcoporum virtutes jam relatas Johannes Chrysostomus persequitur: *Vides*, inquit, *quam virtutis excellentia in Episcopo requiratur? quemadmodum enim pictor egregius colores miscet, ut exemplar imaginis regis, quam expressurus est, ita diligenter conficiat, ut, qui*

am depicturi sunt, omnes habeant, quod imitentur: sic & sane B. Paulus tanquam regiam effigiem pingens & exemplar ipsius conficiens varios virtutis miscet colores, nobisque formam Episcopalem ad imitandum proposuit, ut, qui ad hanc dignitatem provebantur, ad illam aspicientes actiones suas dirigant & moderentur. Ita bene aurei oris Orator in vita S. Ignatii Martyris. Et laudatæ virtutes in V. Ecclesia fuerunt exemplar, secundum quod Episcopi eligendi examinabantur, quibus quum minus eminare deprehenderentur, ad munus illud adeo augustum & arduum minime evehebantur.

LXXI. Quam male sequioribus Ecclesiæ temporibus ab hoc discessum sit, aperire, mei non est instituti, & sat illud apertum est e Gravam. Germanicæ nationis ad Imp. Maximil. I. Daß die Regierungen unserer Kirche ungeschickten und unwürdigen zu Rom verliehen und übergeben worden / Die besser Hirten geben Esel zuweiden und hüten / als Menschen zu regieren und versorgen. Hac etiam de causa graviter prudentissimorum hominum quam plurimi conquesti sunt, inter quos Andreas Fric. Modrev. de Eccles. I. II. c. VII. ita scribit: Laudandus est mos prisca illius Ecclesiæ, quæ proxima Apostolis erat, quum Episcopatus opus erat, non opes, onus, non honor. Hodie si rogentur omnes Episcopi, vix aliquis in tanto eorum numero reperietur, qui, si verum fateri velit, negare possit, se inprimis opes inhiare, honorum cupiditate ardere. Magis in eis viget ambitio, quam religio, & alia quævis studia curantur potius quam veritatis inquirenda & verbi Dei docendi. -- Perdidimus igitur non tantum res, sed & vocum significationes. Posteaquam enim Episcopatus desit esse opus & onus, factum etiam est, ut Episcopatus nomine veniant honores & redditus annui. Cura animarum, doctrina religionis in minimis habetur, ac potius nihili curatur, ad abjectiores quosdam rejecta est. A quibus quam bene tractetur, ipsi, qui rejecerunt, viderint, si tamen videre possunt, ambitione & avaritia excæcati. Abusum circa eligendos Episcopos aperte & bene notat Georgius Wicelius in Via Regia p. 115. Abusus præcipuus committitur in electione, quæ parens est postea omnium corrup-

corruptelarum. Eliguntur affectu magis quam iudicio, non a tota Ecclesia, sed a certis quibusdam paucis: quorum pars major neque Deum magnopere, neque Ecclesiam universalem curat, neque hujus profectum spectat neque sacras callet literas, tota harum rudis, tota tenebris involuta operibusque carnis immersa &c.

LXXII. Haftenus cognovimus, qualem Episcopum sacrae literae exposcant; nunc porro, quae secundum jus Canonicum in eligendo Episcopo attendenda veniant, videbimus. In hoc imprimis praecipitur, ut iste sit prudens & literatus. Imperitis enim beneficia non esse conferenda, certi juris est c. illiteratus dist. 36. c. Penitentes dist. 55. c. cum in cunctis de Elect. potest. & c. sacerdotes dist. 49., qui ex Hieron. super Malach. c. 1. desumptus, ubi dicitur, *Quod caecum animal offerat, qui ordinet indoctum loco docti, magistrumque faciat, qui vix discipulus esse posset.* Ratio, ob quam Episcopum literatum & prudentem esse decet, a genuino ejus munere peti potest, quod est non solum docere Verbum Dei, sed etiam contradicentes refellere, seu, ut Paulus ait, *ἐπισκεψέω, & rationem omni poscenti de fide sua reddere*; quanto autem literarum apparatu, quam singulari prudentia illi opus est, qui hoc tale munus administrare desiderat? c. qui ecclesiasticis. dist. 36. Detestabilis itaque eorum impudentia est, qui, quum nulla eruditionis parte praediti sint, & quibus vile videtur ac sordidum fungi officio docendi, Episcopatum tamen ambire non verentur. His profecto Deus idem comminatur, quod antistiti illi V. T. Ecclesiae: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi*, Holey iv. 6. Proinde si quis forte literarum ignarus V. Ecclesiae temporibus ad sacrum ministerium obrepisse deprehenderetur, is confestim ab eo remotus legitur. Ita Honorius III. capitulo Bremens. Episcopum quendam Calinensem ab administratione Ecclesiae penitus amovendum duxit. Decretum, & ipsum quidem minus literatum. existat cap. xv. de atat. & qual. praeficiend. *Quamvis multa proposita fuerint contra Episcopum Calinensem, quia tamen confessus est coram nobis, se nunquam de Grammatica*

matica didicisse, nec etiam legisse Donatum, & per evidentiam facti usque adeo de illi teratura & in sufficientia sua constat, quod contra Deum esset & Canonicas sanctiones tantum in Episcopo tolerare defectum, ipsum a Pontificalis officii executione & ab administratione Calinenfis Ecclesie penitus duximus admovendum. Quæ scire oporteat eum, qui Episcopus est ordinandus, definit, c. omnes. dist. 38. qui ita habet: *Definimus, omnem, qui ad Episcopatus provehendus est gradum, modis omnibus Psalterium nosse, ut ex hoc & omnis Clerus qui sub ipso fuerit, ita moneatur & imbuatur. Inquiratur autem diligenter a Metropolitano, si in promptu habeat legere scrutabiliter, & non transitorie, tam sacros canones & sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum, & omnem divinam scripturam.* Episcoporum eruditio, qualis esse debet, Canones varie exponunt. Alii peritos illos quoque esse volunt juris civilis, alii non itemque alii & Medicinæ, alii minus. Sunt canones, qui Episcopis libros gentilium, sive ut vocant, seculares plane interdicut c. Episcopus. dist. 37. &c. Rectius, contra istos Beda sentire videtur, dum ait: *Turbat acumen legentium & deficere cogit, qui eos a legendis secularibus literis omnino estimat prohibendos, in quibus si qua inventa sunt utilia, quasi sua sumere licet. Alioquin nec Moses & Daniel sapientia vel literis Aegyptiorum paterentur erudiri: quorum tamen superstitiones simul & delitias horrebant. Nec ipse magister gentium aliquot versus Poëtarum suis vel scriptis indidisset vel distis. c. Turbat. dist. 37.* Non veri, sed potius falsi simile est, & prope ridiculum, quod de Hieronymo referunt, eum, cum libros Ciceronis legeret, ab Angelo verberatum, eo quod vir Christianus Paganorum figmentis intenderet. c. Legimus, dist. ead. fuse hæc explanat Duarenus l. v. de sacr. Eccles. ministr. ac benef. c. 2. & pertractat Distinctio xxxvii. prope tota.

LXXIII. Nullis vero Hæreticis, nec Schismaticis, aditus legitimus ad mûnus Episcopale patet c. Novatianus. 7. quæst. 1. Huc referunt etiam Apostatas, Hæreticorum receptores, defensores & ejusmodi similes. Attento insuper canonum rigore, nemo eligendus Episcopus, quin ante Le-

ctoris

toris munere & officio Diaconi & Presbyteri functus per singulos gradus gradatim ad culmen Episcopatus ascenderit. C. Osius. dist. 61. Ulterius ex iustis legitimisque nuptiis procreatus esse debet Episcopus eligendus. Illegitime igitur natus Episcopatus censetur incapax. c. Cum in cunctis. de Elect. Ratio hujus afferri solet triplex, una est, metus inconfinentia paternæ. Sæpe enim καὶ νόστος κακὸν ὄν. Altera, ut hoc etiam modo crimen paternum plectatur, quamvis nihil admiserint filii & revera alieno vitio laborent. c. nasci. 56. dist. Tertia denique ratio est, ignominia eorum, qui ita nati sunt, ob quam indigni tanto munere judicantur.

LXXIV. Præterea nemo eligendus Episcopus, nisi qui jam trigessimum ætatis annum exegerit. Aetas hæc in Synodis Agathensi c. Episcopus dist. 77. & Lateranensi c. Cum in cunctis de Elect. determinata legitur. Aliquam ætatis in eligendo Episcopo habendam esse rationem, docet Paulus, cum Timotheo præcipit, ut nemini cito manum imponat. 1. Tim. v. 22. Senior enim juvene præsumitur prudentior & virtutibus instructior, seu ut Poëtarum princeps loquitur *παλαιότε πολλότε εὐδός.*

LXXV. Porro corpore vitiat, & mutilatus Episcopus eligi non potest. In Canonibus, qui falso Apostolis tribuuntur, οἱ ἀποτομήζοντες, seu uti vulgo interpretantur, qui genitalia sibi amputarunt, ab Episcopali dignitate excluduntur. c. si quis absciderit. c. Hi, qui. dist. 55. præsertim si id consulto fecerint, superstitione vel impatientia libidinis ducti, aut malæ suspicionis vitandæ causa, uti Origenem quondam fecisse, tradit Euseb. hist. Eccles. l. vi. c. 7. Rationem, ob quam tales a sacris beneficiis arcendi sint, hanc edunt, quod illi neque virorum neque mulierum numero habendi esse videantur; & præterea ἀυτόχειρες sint, & creationi divinæ inimici. Huc referunt, qui sponte digitum aliudve membrum hujusmodi sibi absciderunt, c. qui partem l. c. Hinc Ammonium Monachum quendam referunt Histor. Tripart. l. 8. aurem dextram sibi amputasse, ne Episcopus ordinaretur.

tur. Quod si tale quid factum sit valetudinis causa per medicos, aut pervim atque insidias hominum, hos ab Episcopali officio conones Pontificii non excludunt. c. si quis. dist. 55. Aut si quis Eunuchus natus sit, ad Episcopatum admitti potest. c. Eunuchus. dist. ead. Sequioribus Pontificum Canonibus ab Episcopatu deterrentur *επερόφθαλμοι*, & illi, quibus alter oculus laesus est. c. si Evangelica. dist. ead. Tredecim hominum vitiorum genera, quæ in V. T. a sacro ministerio arcebantur, & quæ refert c. Hinc etenim. dist. 49. (si coocus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habeant in oculo, si jugem scabiem, si imperiginem in corpore, vel ponderosus) illa inquam, Pontificii *καλόζηλοι* æque huc referunt; quæ tamen Gregorius Papa d. c. *ἀλληγοριῶδες* intelligit. Consimili ratione, qui gravi morbo laborant, c. g. Epileptici, c. communiter dist. 33. Maniaci ac Fanatici, qui a Satana vexari existimantur, c. Clerici. c. usque adeo. dist. ead. Episcopalis functionis censentur incapaces.

LXXVI. Ius Canonicum vetus, non minus ac SS. seu jus divinum, Episcopos eligendos porro poscit temperantia, vite sanctioris magistræ deditos; non vinolentos, non luxuriosos, nec aleatores. In canonibus, qui nomine Apostolorum vulgo circumferuntur, legimus: *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus alea atque ebrietati deserviens aut desinat, aut certe damnetur*. Si enim hominem, qui rationis suæ statim non vult perverti, belluinum gulæ studium dedecet, maxime istum, qui ceterorum omnium inspector & typus esse debet i. e. Episcopum & quemlibet Ecclesiastici cætus antistitem dedecet *Vinolentum sacerdotem*, inquit Hieron. ad Nepot. de vit. Cler. *Apostolus damnat, & vetus lex prohibet. idem paulo supra: Qui altari deserviunt, vinum & siceram non bibant Sponsa Christum vinum fugiat, ut venenum. Vinum & ebrietas incendium est. C. Vinolentum. dist. 35. Idem quoque in Michæam ad cap. 2. praeclare scribit: Ecclesia Principes, qui deliciis assuunt, & inter epulas atque lascivias pudiciam servare se credunt, proph-*

pheticus sermo describit, quod ejiciendi sint de spacioſis domibus lautisque convivii, & multo labore epulis conquiſtis, & ejiciendi propter malas cogitationes & opera ſua. -- *Annon confuſio & ignominia eſt, Ieſum crucifixum, Magiſtrum pauperum atque eſurientem factis predicare corporibus, jejuniorumque doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre?* c. Eccleſiæ Principes diſt. cit. Splendida & crebra convivia Epifcopo interduntur. c. Multis diſt. 44. Edendi vel bibendi cauſa tabernas ingredi, niſi peregrinationis cauſa, non licet. Clerici. diſt. 44. quod ſi ebrui fuiſſe conſiterit, juxta decretum concilii Agathenſis triginta dierum ſpatio a communionere-movetur, c. Ante omnia. diſt. 35.

LXXVII. Superſt quæſtio, an Conjugatus ad Epifcopalem thronum licite poſſit evehi? & quod utique poſſit, idque jus naturale, divinum, veterum Synodorum conſtitutiones, notoria praxis Veteris Eccleſiæ & Romanæ præferunt, ſatis evincunt. Paulus Apoſtolus in regula, quam ad Timotheum præſcripſit Epifcopis ſeu Presbyteris, & Epif. ad Titum ingeminat, vult Epifcopum eſſe vnus vxoris virum. Varie interpretari ſolent hanc vocem, alii *μεταφορικῶς*, quod Epifcopus habere debeat non duos, ſed unum modo Epifcopatum; alii myſtice, quod uni doctrinæ catholicæ ad dictum eſſe oporteat Epifcopum; Alii, quod nemo ad Epifcopatum ſit evehendus, qui ſolutus conjugio vivat, quam ſententiam Hieronymus tribuit Vigilantio, initio libri contra ipſum ſcripti; Sunt & alii, qui hanc uxoris unitatem ad tempus præteritum referunt, ut qui Epifcopus ſit futurus, ei impedimento eſſe non debeat, fuiſſe aliquando monogamum. Alii denique, quod licitum quidem ſit Epifcopo unam uxorem ducere, ſed, ea mortua, ad ſecunda, ut loquuntur, vota transgredi non liceat. Singulorum ſententias videamus. *Prima* eſt coacta. *Secunda* itidem: præterea h. l. Apoſtolus non æque doctrinam ac vitam & mores Epifcopi deſcribit. *Tertia* praxi & moribus receptis V. Eccleſiæ adverſa eſt. Nam & Iohannem Apoſtolum & non paucos Epifcopos in cælibatu vixiſſe,

vixisse, ex historia Ecclesiastica apertum est. Non hoc Apostolus dicit, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed ejus rei modum constituit, ita ut vox ista, *unius uxoris virum*, accipienda sit *negative*, ut in Scholis loquuntur, non *positive*. Quarta vim apertam infert verbis Paulinis: Non enim dicitur: *OPORTET FUISSE*: sed *OPORTET ESSE*, *dē ēvā.* Ac ne cavillationibus locus relinqueretur, ipse Apostolus cavere voluit, effectis matrimonii in medium prolatis, prole scilicet, ex qua bene & recte educta argumentum sumit *suuri boni Episcopi*: contra, ex eadem male & ad turpitudinem instituta, mali & nequam Episcopi. Sic enim pergit: *Qui liberos habeat in subjectione cum omni reverentia*. Quinta & ultima sententia nec probabilialiqua ratione e textu Apostolico evinci potest. Frivolum est, quod Romulidæ quidam afferunt, quasi bigamia (ita enim vocant Secundas nuptias mortua priore conjugē) indicium sit animi impudici adeoque sanctitati Episcopalis officii repugnet. Nam quodnam sit animi impuri indicium in secundo matrimonio, quum, defuncta conjugē, matrimonii vinculum jam factum sit liberum? quomodo potest libidinis remedium, quale est conjugium, quotiescunque repetatur, impuri animi esse argumentum? Rectius hoc Theodoretus intelligit in Comment. super cap. i. ad Tit., ubi discrete scribit, ab Apostolo Secundas nuptias Episcopi non reici, sed talem velle eligi Episcopum, qui durante matrimonio *unius uxoris vir* existat, & qui Iudæorum more duas simul uxores non habeat. Ita enim Hieronymus epist. LXXXIII. ad Oceanum exponit. In universum Apostolus prohibet Episcopo polygamiam simultaneam, quæ quidem juri naturæ non adversa & a sanctis etiam Patribus exercita, a Christo tamen expresse prohibetur. Matth. xix. Polygamia ergo cessiva non interdicat, imo hæc in S. Script. successiva nuptiam prohibetur.

LXXXIX. Si prisca Synodorum decreta & consuetudinem recognoscimus, omnia favere conjugio, nec in catholica Ecclesia unquam existimatum esse ostendunt, conjugium

gium dignitatem Episcoporum & ceterorum clericorum impedire. Hoc tamen nullus inficiat, summa in veneratione & majori admiratione semper ab initio Ecclesiæ fuisse sacros antistites, quibus singulari naturæ concessu conjugio, libidinis illa medicina, minus opus fuerit, & Occidentales Ecclesias Clericalis continentia exempla habuisse cum plurimum insignia. Quod penitus in historia Antiq. Ecclesiarum versanti non potest non patere. Id vero late jam persequi, abest ab instituto.

LXXIX. Ceterum non est tacendum, quod in sacro codice Dæmoniacum & AntiChristianum proclamatur, si quis adversus conjugium doceat. Qua de causa taxandi Romanensium sequiores Pontifices, imo hi videntur *Spiritus illi impostores*, quos Paulus *venturos* esse scribit 1. Tim. iv, 3 dum nescio quem Angelismum simulantes, Episcopis & omnibus omnino clericis conjugio interdicit, illudque, quod sanctum Deus ipse Opt. M. esse voluit, profanum & impurum pronunciant, interim scortationis flagitium, lupanaria & concubinatum contra Spiritus Sancti puritatem, Verbi divini veritatem, conscientia sinceritatem, civilem denique honestatem saepe permittunt.

LXXX. De Orientalibus Ecclesiis planum est, illarum antistites non modo cum uxoribus vivere, quas, anteaquam ordinarentur, duxerunt, sed etiam electis & jam initiatis matrimonium contrahere licere. Id quod consuetudo Rutenorum hodieque vigens ob oculos ponit, & Stephanus Papa c. Aliter. dist. 31. attestatur. *Aliter*, inquit, *se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum sacerdotes, Diaconi atque Subdiaconi matrimonio copulantur: istius autem Ecclesiæ vel Occident alium nullus sacerdotum a Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Ita aliter in Oriente, aliter in Occidente de matrimonio Clericorum comparatum cernimus. Quod si vero Orientalis Ecclesia cum Occidentali una est (ut una putanda est) una quoque utriusque clericatus natura sit necesse est. Cum vero

ita se habeant Episcopi in Oriente, ut matrimonium fortiri possint, sequitur & naturam Occidentalis Clericatus talem esse, quæ cum matrimonio non pugnet. Evincitur autem Ancyrano canone *Diaconi* dist. 28. ordinem sacrum & matrimonium inter se non repugnare, quia uni convenire possunt: ea autem, quæ inter se repugnant, nunquam uni attribui possunt. Reliqua, quæ huc pertinere videntur, nihil est quod deducam, præsertim quum a tot summis Dd. jamdudum fuscæ & accurate sint deducta.

LXXXI. Atque ita hætenus, de iis, quæ illi, qui Episcopus eligendus, juxta decretorum rigorem adesse oportet. Sed rigor iste postea laxatus ac remissus est, *Postulatione* introducta, quæ nihil est aliud, quam concors & supplex capituli seu collegii apud superiorem petitio de aliquo Episcopo constituendo, qui alias propter obstaculum aliquod eligi non potest. Tres igitur personæ in *Postulatione* attenduntur, *Postulantes*, *Postulatus*, *Superior*. *Postulantes* sunt Capitulum seu collegium, quod a Superiore petit, ut consensum accommodet, atque omne impedimentum in *Postulato* tollat. Consensus ille Confirmationis instar habetur. *Postulatus* dicitur, qui habita canonum, & in primis eorum ratione, quæ ab eligendo Episcopo requiruntur, ob defectum eligi non potest, qualis est Laicus, illegitime natus, & circa quem aliud occurrit vel ætatis vel conditionis obstaculum. Hic eligi non potest, sed postulari. *Superior* solus sub Papatu habetur Pontifex R. a quo ordinarie dispensatio seu remissio, de qua hic loquimur, peti solet, c. ult. de postul. Prælat. Ceterum *Postulatus*, simul atque cum isto Superior dispensavit, æque verus est Episcopus, atque is, qui electus, iisque, quibus ille, gaudet juribus ac privilegiis. Id tamen a *Postulato* Electus differt. Huic *per modum juris*, sed illi qui postulatur, *per gratia modum* providetur. Deinde electus adhuc Confirmatione, *Postulatus* hac minime indiget. Uterque igitur non re ipsa, sed ceremoniarum ratione inter se invicem distant. Propter jurisdictionem Ecclesiasticam suspensam in terris

Pro-

nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is collatione habita eligatur, in quem omnes vel major & sanior pars capituli consentit. Dicitur autem pars major, ubi est major eligentium numerus, qui & majorem capituli partem constituunt, & inter quos is, qui eligitur, continetur. Pars Sanior spectatur partim ex eligentium autoritate ac Zelo. Autoritas consistit in ætate, dignitate & majoribus ordinibus eligentium. Zelus vero ex eo colligitur, quod bono Zelo ducti ac remotis affectibus non consanguineos aut affines, sed pro meritis quempiam elegerint. Vid. Valerii A. Desselii Erotem. Juris Can. l. i. tit. 6. Et ipsos juris Pontificii Canones. Denique eligendi formam per *Compromissum* vocant, quando eligendi potestas uni aut pluribus fide dignis committitur, ut quem hi elegerint, in ejus sententiam omnes ire teneantur. C. quia propter de Elect. & elect. potest. c. Cum olim. de Arbitr. Si is, qui electus est, idoneus deprehenditur, compromittentes a compromissariis eundem recipere debent, c. causam. c. cum dilectus d. l. Circa istos eligendi modos plura alia jure Pontificio provisã exstant, quã hic consulto facio missa. Felici brevitate ejusmodi multa excerpfit M. Antonius Cuchus Instit. juris Can. Lib. 1. Tit. vii.

LXXXIV. Pauca adhuc de *Consecratione* Episcoporum; per quam fœdus conjugii Spirituale, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, intelligitur consummatum, quod *Electione* fuerat initiatum, *Confirmatione* ratificatum. c. Licet de Translat. Episc. Consecratur autem Episcopus ab omnibus Comprovincialibus, quod si difficile fuerit, certe a tribus, ceteris vero consentientibus. c. Episcopi. dist. 64. c. Porro. dist. 66. Sine consilio & presentia Archiepiscopi consecratio non est peragenda. c. Non debet. c. Episcopus 65. Quod si quis præter ejus sententiam fuerit consecratus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum esse non oportere. c. Illud. dist. 64. Intra trimestre tempus consecrari Episcopum, præcipiunt canones, c. quoniam dist. 75. & hoc quidem ritu: *Consecrantes seu Ordinantes simul conveniant, & scrutinium diligenter peragant,*

gant, jejuniumque cum omnibus celebrent precibus, & manus in sanctis Evangelii imponentes, Dominica die, hora tertia orantes, sacraque unctio -- capita eorum & manus Chrismate ungentes. c. ordinationes. dist. ead. Canone, qui appellatur Episcopus, dist. 23. ait ritus ordinandi Episcopum describitur: *Episcopus, cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & una super eum fundendo benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.*

LXXXV. Intra temporis modo dicti inter capedinem non tantum Archiepiscopi, verum nonnulli etiam Episcopi Insigne, quod *Pallium* vocant, a Romano Pontifice patere tenentur. c. Quoniam. dist. 100. Estque Pontificiis nihil aliud, quam Episcopalis dignitatis supplementum. A quo, quando, quomodo & quem in finem cepit Pallii usus, facile non est reperire. Primis temporibus fuit vel gratuita Pallii concessio, vel parvo constituit, & per literas aut nuncios peti potuit. Ast Hildebrandus, quum adhuc esset Archidiaconus, ut fastum & avaritiam Pontificis altius eveheret, primus adinvenisse perhibetur, ut Archiepiscopi, & Episcopi Pallii capaces, etiam e distitis & remotissimis locis, ipsi Romam peterent & muneribus sat splendidis, adorato Domino, Pallium impetrarent. De Lanfranco, Cantuariensium Episcopo, memorant, quum per Legatos suo Pallium ab Alexandro II. petisset, ab Hildebrando hoc tulisse rescriptum: *Verba Baron. Legatorum vestrorum graviter accepimus; sed quod voluntati vestrae -- rite non potuimus satisfacere, valde doluimus. -- Necessarium nobis videtur, vos Apostolorum limina vistare, quatenus de hoc & ceteris una nobiscum efficacius, quod oportuerit, consulere valeamus atque statuere. Is Papa factus, audiamus quantopere in Episcopum Rothomagensem excandescat, quod Pallii impetrandi causa Romae ipsius non comparuisset: Qui labor autem quae difficultas praeter aliis dissuasit vobis per tantum spatium B. Petrum negligere: cum ab ipsis finibus etiam gentes noviter ad fidem conversae studeant annue tam mulieres quam viri ad eum venire? Illud quoque, nisi nos Apostolica mansuetudo detineret, profecto severius*

in te jam animadversum sensisses &c. Gregor. VII. lib. 1. epist. 1. & l. 6. epist. 20. Paschalis II. decreto confirmavit, ut Pallium accepturi fidelitatis juramento se R. Pontifici obstringerent. Quod certe, si quid, multarum calamitatum, quas Imperatores cum toto Imperio subierunt, certissima fuit causa.

LXXXVI. Est autem Pallium vestis genus candida lana contextum humeris constringens, a quo duæ lineæ ante & retro pendent, cui intextæ sunt quatuor cruces purpureæ, duæ ante & retro, & a dextris & a sinistris, & cui infixi quoque sunt tres acus. Joach. Steph. Instit. jur. Can. l. 2. c. 10. Lectu non indigna sunt verba, quibus usus Clemens Papa Salernitano Archiepiscopo concedit Pallium: *In nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti, Archiepiscopali Pallio, nostra Apostolica manu, dilectionem vestram insignivimus: Quo utaris toties in anno, quoties Prædecessores tuos eo usus fuisse constat. In quo quia de vellere ovium est, intellige te ovium Pastorem, & quia circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoscas & undique circumspicias, ne aliqua erret, & in morsus incidat luporum. Quod si aliquando, quod absit contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, & pristina societati coadunare. Quod vero ante & retro crux Domini habetur, illud Apostolicum semper doceat ante oculos tuæ mentis habere: (Gal. vi. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.) Ita refert Baron. Tom. xi. ann. 1047. & ex isto M. Anton. de Dom. de rep. Eccles. l. 3. c. 11. n. 18. Quomodo conficiatur ac comparetur Pallium, eleganter describit Germaniæ nostræ Livius, Johannes Sleidanus L. xiii. ad annum 1641. Sumi dicitur Pallium de Petri corpore, quia super altare Petri, ut credunt, consecratur. Pallio nondum impetrato, Archiepiscopis aut Episcopis Pallii capacibus munia ordinis sui exercere, cum primis Concilium vocare, Christa facere, Basilicas dedicare, Clericos consecrare non licet. Nimis autem care hoc suum lancum indumentum Papa vendat, quod Germani gravissime conqueruntur in Remed. Gravam. ad Maximil. I. & quidem Remed. 2. & 3. Der Etuel zu Meing -- hat vor zeiten nur zehentausend Floren gegeben.
Welche*

Welche / als auf einmahl ein erwählter allda Erzbischoff nicht wolte erlegen / und sich auch bis an den Todt sperrete und wegerete / hat der nach ihm erwählte / weil er dürstig nach der Confirmation war / sich gefürchtet / dem Apostolischen Stuel zu widersehen / offerirte also bald die alte gewöhnliche Summ / nemlich zehentausend Floren / nach Rom. Aber er konte die Confirmation nicht ehe erlangen / bis er auch seines Vorfahren zehentausend Floren zugleich erlegt / die noch unbezahlt ausstundten. Und war also gezwungen zwanzig tausend Floren zuerlegen -- Und nicht allein zwanzig tausend / sondern auch fünf und zwanzig. -- Endlich ist es gestiegen auf sieben und zwanzig tausend / die Erzbischoff Jacob neulich muste bezahlen. -- Also daß in zeit eines Menschen Lebens aus dem einigen Erzbischoff Meins / für die Confirmation eines Erzbischoffs / siebenmahl fünf und zwanzig tausend (das ist 175000 fl.) nach Rom kommen und geliefert worden. Werden also die unfertigen nicht allein übel geschunden / gleichfahm ausgehäret / und zu eufferster Armuth gebracht / -- sondern auch zur Aufruhr und Empörungen bewegt. Remed. 7. Nicht ohn Ursach hat Jacobus / löblicher Gedächtnuß / Erzbischoff zu Meins / als er jetzt sterben wolte / mit klagender Stimme gesagt / es kräncke ihm nicht / daß er sterben müste / als dasjenige / das seine arme Unterthanen wiederumb für diß Pallium eine so große Schakunge geben müsten. Haecenus Majores nostri Pallio tanti empto intra quamlibet Ecclesiam Provinciae suae Archiepiscopus seu Episcopus uti potest c. i. tit. de autor. & usu Pallii. Extra provinciam uti non potest, nec omnibus, sed certis duntaxat stisque diebus. c. Ad honorem l. d. Alteri non potest accommodare. c. Ad hac l. d. cum ad Successorem non transeat, sed quisque cum eo sepeliri debeat. Verbo ut dicam omnia, per Pallium confertur plenitudo Pontificalis officii & ipsa dignitas. c. Nisi specialis. d. l.

LXXXVII. Episcopi jam consecrati praterea redditus primo anno Episcopatus natos Camera Apostolicae perfolvere tenentur, quos *Annatas* vocant. impudentis ac nefarii

hujus vestigialis originem alii ad Bonifacium IX, alii ad Johannem XXII referunt. Quam aspere & avaro Annatas quondam exegerit Papa, ille non Simonis Petri sed Simonis, cui Mago cognomen, genuinus discipulus, graviter ibidem loco antea citato Nostrates detestantur: *Dass die Annaten ohn allen auffschub und Barmherzigkeit -- strenge gefordert werden / zuzeiten wird auch mehr / als man zugeben schuldig abgenommen etc.* Saepe dubitatum est & quaesitum, maxime in Synodo Basileae celebrata, an jure Rom. Pontifex ejusmodi pensiones exigere possit? Circa hoc ipsum, quae in mentem mihi veniunt, breviter lubet exponere, & primum oppono S. Scripturam, in qua nullum ejus exstat vestigium, quod sacra munera argento aurove vendi debeant, quae potius praecipit, ut gratis conferantur. Deinde etiam ipsi sacrorum conventuum canones Anathematis sententia damnant sacrorum officiorum tam venditores quam emptores. c. Quos constiterit. c. Reperiuntur. c. si quis Episcopus 1. quaest. 1. Atque ideo ipsi Pontifices canonum poenam incurrunt. Denique si, quod majestatis civilis est, intueamur, ipsi illi magna inferitur injuria, dum Ecclesias, quas majestas adeo magnifice donat, & quarum constituit Praesules, insatiabilis Pontifex exinanit ac fere depopulatur. Felices merito Evangelici orbis Ecclesiae sunt praedicandae, in quibus, *suspensa vel restituta potius jurisdictione Ecclesiastica, Episcopi & Principes ab exactionibus Papalibus immunes jura, Episcopalia hodie exercent.* Quod & disertè in Transactione Osnabrugensi provivum: *Si quid Annatarum, jurium Pallii, Confirmationum, Mensium Papalium, & hujusmodi jurium & reservationum nomine in bonis Statuum Augustanae Confessionis Ecclesiasticis immediatis a quocunque, quandocunque aut quomocunque praeferatur, id validitate & executione a brachio seculari impertienda careat.* Tantum etiam de Episcoporum constitutione.

Verum

Verum in iis, quæ delibare ac prætere-
 undo tractare animum induxeram, ita huc
 usque excrevit Disputatio, ut argumentum,
 ad quod maxime incubiturus eram, investi-
 gandi & consequendi, nullum relictum spa-
 tium videatur. Quamobrem stylum in præ-
 senti sistens argumentum de JVRIBVS
 EPISCOPALIBVS integræ & peculiari
 Disputationi reservo. Si forte præter rem
 aut temere quippiam effusum fuerit, cum
 materiæ gravitati, tum ingenio plane tenui
 illud (ita enim confido & rogo) condonabi-
 tur. Ceterum a quo orsa est, in CHRIS-
 TIO JESU, Supremo Episcopo, hæc jam
 terminatur exercitatio, quem universa Ec-
 clesia in perpetuum caste & sancte
 veneretur!

πάρεργα.

I.

Electiorem Episcoporum seu Presbyte-
 rorum ad populum pertinere, e sacris N. T.
 literis evidenter probari nequit.

II.

Ecclesiæ ministros ab Ecclesia conse-
 crari seu ordinari, simpliciter non est neces-
 sarium.

H 3

III.

III.

Sacri Ecclesiæ Antistites nullam in Reges aut Principes civilem habent potestatem.

IV.

Principes, etiam errantes, ab Ecclesia reverenter sunt habendi.

V.

Fundamentalium non par est necessitas.

VI.

Qui in fundamentalibus non errat, Hæreticus non est habendus.

VII.

Non omnia, quæ in Apostolico symbolo habentur, sunt fundamentalia.

VIII.

Fides est discursiva.


IX.

Homo in sui conversione est DEI *σύνεργος*.

X.

Falsum est S. Scripturæ autoritatem sine Ecclesiæ traditione constare non posse.

DE
IVRIBVS EPISCOPALIBVS.
SEV
DE POTESTATE ECCLE-
SIASTICA.



I.

Reipublicæ Ecclesiasticæ formam atque ingenium, Apostolorum dignitatem atque æqualitatem, Episcoporum varia genera, illorumque constitutionem, & quæ circa hanc inter Pontifices atque Imperatores acciderunt, & cetera, quæ apud alios latius diffusa extant, qua brevitate potuimus, in superiore de *episcopis* exercitatione, si non omnino confequuti, certe sumus sequuti. Iam vero quoniam de potestate Ecclesiastica seu de iuribus, quibus Episcopi partim per se seu jure divino, partim per quandam delegationem in Ecclesia gaudent, in medium afferre nihil dum licuit, de his ipsis summam, & quantum ejus per modicas ingenii vires licuerit, differere paramus.

II. Summam potestatem, quam Politici vulgo *Majestatem* vocant, etiam Sacra ambitu suo includere, exploratissimum est hac inter alias ratione, quod alias scopus reip. quem cum Apostolo statuimus *vitam quietam & tranquillam in omni & pietate & honestate*, obtineri minus possit. Deinde quoniam *si Aristot. V. νόμοι περί πάντων ἀρχέουσιν*, uti summus Philosophorum loquitur, legum autem ferendarum potestas est e præcipuis regalibus, sequitur, eum, qui summa eminet potestate, etiam de sacris leges ferre posse. Quum præterea certum sit, Roman. *majestatem civilem omnis mali esse vindicem*, ista vindex etiam erit mali circa sacra commissi. Si porro majestati civili *subiecta est omnis anima*, consequitur, etiam Episcopos seu divinarum rerum administratos illi esse subditos, & ut Chrysofostomus Christianorum Demosthenes, *παραφράζει, etiamsi Apostolus sit, etiamsi Evangelista, etiamsi propheta*. Accedit judicium laudati Philosophi, qui primum regale esse *τὴν περί τῶν θεῶν ἐπιμέλειαν*, & in sine Ethicorum Eudem. affirmat,

illam vivendi rationem optimam esse, qua ad Deum considerandum maxime faciat, qua cives facias quam religiosissimos. Quo fine posito, poni etiam oportet jus seu potestatem ea exercendi, sine quibus finis obtineri nequit. Idem declarare possemus, e jure divino, exempla a Mose, Josua, Judicibus, Regibus capeffentes, qui testibus SS. lit. velut nutritii & muri ecclesie, potestatem circa sacra in primis exercuerunt. Quod Ethnici Principes eadem usi fuerint potestate, si non aliunde, saltem e sacris voluminibus etiam abunde constat. Exempla ejus insignia in Jona & Estre libris suppeditantur. Potestatem circa sacra Regibus competere, etiam e fadere illo religionis, quod populus Israeliticus & Reges exteri invicem icerant, præcipue ex literis Antiochi ad Lyfiam scriptis, fieri potest luculentum.

II. Macc.
XI, 24. 25

III. Latum vero inter potestatem circa sacra & ipsam sacram functionem intercedit discrimen. Potestatis circa sacra est circa cultum divinum, circa homines cultui divino præfectos, & denique circa bona sacra legibus atque imperio uti. In quantum cultus divinus seu religio legibus vinciri possit, & quousque civilis potestas circa istum se extendat, præclare, ut omnia, docet summi nominis Vir Conringius, in Exercitatione Polit. de Majestatis civilis officio & Aut. circa Sacra. Functio sacra Ecclesie ministrorum, quos proprie Episcopus divinus codex appellat, propria est, quæ a potestate civili circa sacra recte statuitur distincta. Hoc tamen negari non posse videtur, quod, attento jure naturali, etiam in unum eundemque hominem coalescere possint summa potestas & sacra functio, de quo alioquin ultro citroque in Ecclesia disputatum. Duo enim ista suapte natura ita non pugnant, ut in unum eundemque hominem recidere nequeant. Prope per annos bis mille quingentos ea conjungi consueverunt. Sic Patres, qui in familiis suis instar Regum erant, & postea Primogenitos Sacerdotii munia obisse, memoria proditum est. Melchisedecus & Rex simul fuit & Sacerdos *Altissimi*, de quo Legislator in Genesi, & divinus epistola ad Hebræ.

Hebræos scriptor. Idem mos apud præfca obtinuit gentes, Æthiopum, Ægyptiorum, Athenienfium, Lacedæmoniorum Romanorum quoque Reges pariter Sacerdotes fuiſſe, hiftoriarum monumenta revolventi apertum eſt. Ejusmodi pariter Rex atque ſacerdos perhibetur Anius, quem optimus Latinorum Poëta laudat Aeneid. iii. v. 80. Euntibus ſeculis in Republica Hebræorum Aaronidis & Levitis Functio ſacra jure divino eoque non niſi poſitivo demandata eſt, reliquis autem fere ſacrilegii flagitio datum, ſi illam ſibi arrogarent. Hoc jus, quum Vſias, judaicæ tribus Rex flocci penderet, in idque temere delinqueret, Afaria Pontifex & octuaginta ſacerdotes acerbe his verbis eum increpant: *Non eſt tuum, o Vſia, adole-
re Iehova, ſed ſacerdotum, filiorum Aaronis, qui conſecrati ſunt ad
adolendum. Exi e Sanctuario, nam prævaricatus es: neque futu-
rum eſt tibi gloria a Iehova Deo.* Quod tamen jus unam tantum Hebræorum remp. obligavit, non ceteras. Proinde officium Sacerdotis a Principe alienum eſſe, exemplo Vſia, citato quidam male probare conantur. Videſis Annot. Excel-
lent. Conringii ad Lampad. de Rep. R. G. quæ ſub prælo jam extant, pag. 22. Judæis a captivitate Babylonica liberatis, ſacerdotio illorum addita eſt ſumma poteſtas, quæ brevi tamen in regnum, imo in tyrannidem tranſiit. In Eccleſia novi fœderis non quidem ita diſtincta ſunt imperium ſummum & ſacra functio, ut in uno eodemque homine conſiſtere non poſſint. Si enim munia ſacra ipsis Apoſtolis injuncta, inter quæ primaria fuerunt, officium docendi & baptizandi omnibus ex æquo communia facta ſunt, id quod ex hiftoria Apoſtolica clariffimum eſt, inter cetera e capp. viii. xv. xviii, licite etiam ſacra illa munera obire potuiſſent Principes, qui ſi fideles, non minus dicendi βασιλικὸν κηράριον, quo illuſtri titulo omnes vere Chriſtiani a Petro & Iohanne Apoſtolyſeos autore ornantur. Nec exempla Principum, qui ſimul Epifcopi fuerunt, in V. Eccleſia deſunt. Illud præter alia eximium eſt, quod adducit de Iacobo quodam, qui Niſibi, quæ ab aliquibus Antiochia Mygdonia vocatur,
I 2
Epi.

Episcopus simul & Princeps & dux erat, referente Theodoro-
 hist. Eccles. l. ii. c. xxx. Sed quia tam gravis est sacra fun-
 ctio, ut totum hominem desideret, Principum autem cura &
 perpetua longeque gravissima, præterea alios mores postulat
 Principis, alios Episcopi officium ob diversa, circa quæ occu-
 pantur, objecta, maxime enim diversa sunt crucifixus & summa
 Avent. I. potestas, regnum & patibulum, corporalia & spiritualia, arma &
 ii. Annal. Boi. sacra, bellum & pax, uti Ludovicus Imp. in edicto publico
 contra Joannem xx. recte distinguit, hæc duo, inquam, cum
 ita invicem se habeant, e re utriusque videtur, si sua Prin-
 cept, & si sua Episcopus seu Ecclesiæ minister jura persequa-
 tur, nec alter in alterius messem immittat falcem. Ipsius Ec-
 clestiæ Monarcha Christus Iesus, dum vitam hic terrarum a-
 geret, regnum suum a majestate civili voluit distinctum, Re-
 gnum, inquit, meum, non est ex hoc mundo. Solvit idem ma-
 Matth. XVII, 27. jestati civili ex ore piscis tributum; Cæsari persolvenda esse
 XXII, 21. docuit, quæ sunt Cæsaris; cuidam petenti, ut fratrem ad
 Luc. XII, 14. hæreditatem dividendam impelleret, id recusavit, dicens:
 Heus tu, quis me vobis judicem aut partitorem præfecit? D. Pe-
 trus ab Episcopis seu præconibus Evangelii omnem do-
 minatum serio cupit submotum: Pascite, inquit, gregem Christi
 vobis commissum --- non dominantes. D. Paulus graviter monet
 Timotheum Episcopum novellum, ne seculi negotiis implicetur:
 edeis, inquit, στρατεύμενος ἐμπλέκεται ταῖς τῆ βίβης πραι-
 ματείαις, ἢ αὐτῶ στρατολογήσαντι ἀρέσῃ. i. e. Nemo militans
 implicatur seculi negotiis, ut ei placeat, cui se probavit. In Græ-
 co exemplari, quod obiter moneo, non existat particula Deo,
 quam in versione voci militans vulgo subjungunt, sequenti
 fortassis interpretationem, quæ existat in canone xvi. concilii
 Carthag. ac talis: edeis στρατεύμενος ΤΩΘΕΝΙ ἐμπλέκει ἐαυ-
 τὸν πραιμασιτικμοῖς. Per militantem vero intelligendum
 esse militem Iesu Christi, facile ex anteriori textu patet. Vo-
 ce ταῖς τῆ βίβης πραιματείαις non curam victus & amictus, in-
 quam sententiam Cosma Magalianus, Jesuita Conimbricen-
 sis, in opere suo Hierachico addictum locum perperam pro-
 pen-

pendere videtur, sed negotia civilia intelligenda esse, non solum Patres, verum etiam antiquissimi Canones evincunt. Hæc obiter. In canonibus pervertistis illis quidem, sed non Apostolicis, qui circumferuntur, præsertim Canone VI. prohibetur Episcopis negociis secularibus implicare, *κοσμικὰς φροντίδας ἀναλαμβάνειν*. Quod si se illis immisceant, hos Canon. jubet officio movere. Et Canon. lxxxii. ita habet: *Non oportet Episcopum vel Presbyterum dejicere se in publicas administrationes (καθιέρωσάντων εἰς δημοσίας διοικήσεις, sed Ecclesiasticis vacare & inservire usibus. Vel igitur sibi persuadeat, hoc non esse faciendum, vel deponatur*. Patres Synodi Chalcedonenfis Anathemati subjiciunt Episcopos, qui secularibus administrationibus se ingerunt. Videantur Canones II. & VII. Adeatur & canon. *Cum ad verum* dist. 96. Atque adeo hinc melioribus Ecclesiæ temporibus Episcopia civili regimine fere semper abstinnerunt, imo ipsi Apostoli se a sollicitudine viduarum & orphanorum alimentis abdicarunt, ut eo melius Act. VI, 2. Evangelio vacarent.

IV. Firmum proinde esto, potestatem circa sacra, & sacram functionem diversa esse, nec in Christianorum cœtu uni eidemque homini facile convenire. Ut & hoc commemorem, diversa licet illa sint, in eo tamen conveniunt, quod unicum respiciant finem subditorum sc. beatitudinem, ut Isidorus Pelusiota statuit; Inter utriusque curam hoc saltem interest, quod potestas summa curet, ut sacra recte ordinentur, Episcopus vero ipse sacra rite administret. Propter finem istum & curarum affinitatem Imperatores sæpe Episcopi & Pontifices in SS. Antiqq. appellari videntur. Ita Constantinus M. Imp. sæpe Apostoli inter Reges, sæpe Episcopi, aliquando *ὑπερεπισκόπος* nomen obtinuit. Vid. H. Grot. opus posthumum de Imp. circ. sacra cap. 11. Cavendum vero imprimis, & quæ Principi & quæ Episcopo jura circa sacra competunt, confundantur. Quæ autem sint genuina Episcoporum jura, præsertim e SS. lit. discendum videtur. Reliqua, quæ progredientibus ætatibus Episcopos tenuisse, hodieque

tenere palam est, ut quod res est, dicam, pleraque ad majestatem civilem circa sacra pertinent. Consideranda itaque Episcoporum potestas venit secundum jus divinum & secundum jus Ecclesiasticum positivum.

V. Juris divini aspectu Episcoporum potestas est mere spiritualis. Ratio ejus a fine reip. Ecclesiasticæ peti potest, cujus finis idem est, qui Ecclesiæ, hujus vero finis proprius existit, ut fideles ad æternam beatitudinem perveniant. Finis iste totus est spiritualis, atque adeo mediis spiritualibus assequendus. Vnde efficitur, quod potestas, qua homines ad finem istum duci debent, non esse possit, nisi spiritualis. Talia enim media, qualis finis. Demonstrari quoque potest propositum nostrum ab objecto adæquato potestatis Ecclesiasticæ, quod sunt animæ humanæ, quatenus æternum beandæ, de quibus aliquando sacris præpositis rationem reddendam esse, monet Apostolus. Curam Ecclesiasticam circa animas occupari, docetur in Const. quæ dicuntur, Apostolicis LVI. c. 2. ὅσα ἑποπῶν βασιλείας αἰώνων περὶ ψυχῆς ἔχουσα τὸν ἀγῶνα. i. e. quanto sacerdotium regno præstat, utpote pro anima certans? disertè idem docet disertus Pater Greg. Naz. in orat. Apol. *Scopus noster est, inquit, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere Deoque dare, divinamque imaginem aut manentem conservare aut periclitantem fulcire, aut, delapsam in pristinum statum revocare.* Ibi sanctissimus Orator solam animarum curam Episcopis præclare assignat, quæ proinde cura & potestas est mere spiritualis.

VI. Eadem Episcoporum potestas nullam includit jurisdictionem, nullam vim coactivam, nullum dominatum, qui seculares præfecturas imitetur, sed mere est *ministerialis atque executiva*. Manifestum hoc est ab objecto potestatis Ecclesiasticæ supra posito, quod animæ humanæ constitunt, in quas nemo mortalium adeoque nec Episcopus ullus, sed solus I. C. habet potestatem coactivam cum plena & absoluta jurisdictione. Solus enim ille animas hominum pretioso suo sanguine redemit, hinc summus illarum existit Episcopus.

Hebr.
XIII, 17.

1. Petr. II,
25.

piscopus. Hanc in animas potestatem is sibi solus reservavit, neque illam Apostolis aut Episcopis, nec ulli Pontifici Romano concessit. Præterea Servator noster omnem dominatum forensẽ ab Ecclesia procul abesse jubet, quando ait: *Reges Luc. XXII, gentium dominantur -- Vos autem non sic!* Eandem ab Episcopis 25. 26. abesse vult Petrus, quando ait: *Pascite -- non dominantes.* Divus Paulus, egregie ita indolem potestatis Ecclesiasticæ explanat: *Sic nos existimet homo, ut MINISTROS CHRISTI, & dispensatores mysteriorum Dei.* Sic etiam plerique Patres modesti potestatis Ecclesiasticæ æstimatores in præposito Ecclesiastico nullam agnoscunt vim imperativam & coactivam, sed tantum *directivam*, ubi videlicet in libertate subditi est & parere & non parere, ita ut qui præest nihil habeat, quo parere nolentem ad parendum adigat. Vnde jam efficitur, quod Episcopi seu Ecclesiæ ministri suapte autoritate non possint præcipere, & quod terrore pœnarum corporalium ad bona temporalia pertingentium agere nihil possint. Audiamus iterum stupendum oratorem Chrysostr. qui in 11. homil. ad Ephes. *Sermonis doctrina*, inquit, *nobis commendata est, non principatus, nec potestatis autoritas, ordinem tenemus consulentium & adhortantium; qui consulit, sententiam suam dicens auditorem non cogit, sed in illius potestate faciendorum optionem liberam relinquit.* Idem homil. 1. in epist. ad Titum: *Si quis rei veritatem diligenter exploret, non ad principatum promovetur, qui hujusmodi est (Episcopus) verum potius ad serviendum innumeris Dominis, qui contraria cupiunt semper & dicunt.* Bernhardus Patrum suavissimus, frequenter potestatem imperativam ab Episcopis removet. Sic alicubi ad Eugenium Papam scribit: *De con-*
Nec enim tibi ille (Petrus) dare, quod non habuit, potuit; quod habuit, hoc dedit; SOLLICITUDINEM SVPRÆ ECCLESIAS. Nunquid dominationem? Audi ipsum: NON DOMINANTES, ait, IN CLERO, SED FORMA FACTI GREGIS. Sunt proinde Episcopi tantum instrumenta, per quæ Archiepiscopus IESVS CHRISTVS in animas humanas operatur, ipsi eas non regunt, sed tantum dirigunt, & lapsas consiliis & censuris Ecclesiasticis in
 viam

viam saluris revocant; Et vero quemadmodum medicus in ægrotos suos nullam habet jurisdictionem; hi enim liberi sunt, ut pareant & non pareant, sed tantum eos potest monere, & periculum impendens, nisi applicari sibi patiantur remedium, proponere; consimili ratione Episcopo cum auditoribus suis agendum existimamus.

VII. Ceterum bifariam Episcoporum potestas expendi solet, prout ad interna pertingit, quam vulgo *potestatem ordinis* appellant; Deinde ut ad effectus externos directa, quam *potestatem jurisdictionis Ecclesiasticae*, κατ' ἀνωγειαν ita dicta vocare liceat. Vtramque hanc potestatem paucis ante contemplabimur, quam ad ea, quæ Episcopis jure humano & per delegationem competunt, transeamus. Potestatem Ordinis collocamus primo omnium *in prædicatione Verbi divini*, quæ merito inter gratias prævenientes numeratur. Ex auditu enim verbi divini fides proficitur. Rom. 1. 14. Verbum itaque Dei est primarium medium, seu via & modus ad æternam salutem perveniendi. Circa hoc Episcopi & sacri Præcones restrictam & limitatam habent potestatem, ita ut huic addere aut demere nullo pacto debeant, atque ab hoc ad dextram vel sinistram defectere; non absolutam & liberam habent potestatem, alias illud mutare, variare vel abrogare possent, quod in nullius mortalium potestate. Est vero principale Episcopi munus & proprium voluntatem divini Numinis annunciare, juxta illud infirmos solari, penitentes erigere, natucontumacibus iram Dei & porro subsequitur æternum supplicium indicere, omnes qua publice qua privatim monere, nullo temporis aut personarum habito respectu, omnibus pietatem, honestatem, vitæque innocentiam inculcare, cum singulis agere ex moderato officii & pietatis Zelo, non privato animi affectu, sed auditoribus suis *ceu filiis*, quos *per Evangelium genuerint*, sicut Paulus olim suis Corinthiis, se exhibere. Quum res antiquas ex historiarum monumentis reputamus, præcos Episcopos in hoc unice sibi incumbendum & in hoc genuinum suum

suum munus consistere arbitratos invenimus. Alios ut omit-
tamus, cognitum est, quam uberrimos fructus prædicatione
Evangelii tulerint Athanasius, Ambrosius, Augustinus, &c.
qui dum ipsi verbum Dei prædicarunt, illustrarunt Ecclesiam
non secus, quam Sol iste, qui aspectu sentitur, suisque radiis
orbem illustrat, dum ipsi impios erudierunt, alienos a vera
religione ad Christum adduxerunt, hæreticis, schismaticis o-
mnibusque improbæ notæ hominibus ense verbi divini re-
stituerunt. Neque hoc ipsis fuit quicquam sanctius aut an-
tiquius. Quo circa per mirum videri solet, qui factum, ut
Episcopi postea omni pene functioni sacrae nuncium remit-
tentes non modo potestatem circa sacra, verum etiam reli-
qua regalia sibi arrogarint, atque adeo Domini, quam Do-
ctores esse maluerint. Sic labentibus seculis in præceptis
quasi pronò amni a puritate primæva mores defluere & di-
scedere ceperunt.

VIII. Deinde Ordinis potestatem in administratione Sa-
cramentorum constituimus. Sacramenta propriè talia Bapti-
smus & SS. Eucharistia a Verbo divino dependent, cum eo-
que, ita ut dicam, essentialiter colligantur. Ratio illorum
institutorum hæc videtur existere. Deus Opt. M. nostram
adjuturus fragilitatem, nobis, quos intellectu & sensu præ-
ditos formavit, immensas gratiæ suæ divitias, quas non nisi
intellectu licet percipere, non modo intellectui, verum et-
iam sensui subiectas offerre voluit, ut & hic quadantenus
circa spiritualia pasceret. Ideoque Sacramentorum fuit
autor, quæ nihil sunt aliud, quam media sensibilia & ordi-
naria, quibus Clementissimum Numen sub visibilibus signis
in omnibus fidelibus gratiam invisibilem vel excitat vel ex-
citatem conservat. Jam vero quo amplius Sacramentorum
est momentum, eo purius & castius horum curationem &
administrationem suscipere oportet sacros Ecclesiarum præ-
fectos, firmiter sibi persuasum habentes, & hæc e numero
fundamentorum, atque sub æternæ salutis iactura esse præ-
cepta. Sic enim de Baptismo ipse Servator noster: *Nisi quis* Joh. III, 5.
rena-

renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum caelorum. Idem ipse de SS. Eucharistia, (quam primi Concilii aecumenici Assessores recte vocant τὸ τελειὸν ἔργον) ANAL-
 KAIO TATON ἐσθίου, *ultimum & maxime necessarium*
 Io. IV, 51. *viaticum* :) Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habetis vitam in vobis. Quae verba de Sacramento seu de corporali usu carnis & sanguinis Christi accipienda esse, & ipse contextus bene perpensus, & omnis veneranda Antiquitas evidenter evincunt. Id quod etiam nuperime Autor Homiliae, qui dici vult Warner Freund/ in Praefatione erudite observavit.

IX. Ecce tantam utriusque Sacramenti necessitatem! Non quidem illa simpliciter & absolute, seu uti in Scholis distinguunt, *necessitate medii*, sicut Fides, ad salutem aeternam sunt necessaria, sed *necessitate praecipi*, i. e. intervenire possunt casus inevitabiles, ut neutrius Sacramentorum fieri queat particeps, qui incredibili illorum teneatur desiderio, nec propterea tamen salute excidat. Quod si quis usum illorum intermittat, cum uti possit, fieri non potest, ut aeterni exitii periculo non exponatur. Cum itaque, ut jam ostendimus, tam grave Sacramentorum sit pondus, tanta necessitas, rite circa ista se gerere, muneris erit ministrorum Ecclesiae, ista, uti Servator instituit, ita administrare, in primis quod SS. Eucharistiam attinet, cum vero pane benedicto verum Christi corpus, cum vino benedicto verum Christi sanguinem porrigere, neque hoc posterius Laicis subtrahere, neque panem & vinum cum corpore & sanguine *transsubstantiare*, neque verum Christi corpus in S. Coena praesens esse negare; quod qui faciunt, quoniam, quantum in ipsis, *Sacramenti partes essentielles* destituunt, ab haeresi materiali vix alieni dici possunt. Providere porro est sacrorum Pastorum, ut circa Baptismum attendenda ne praetermittantur; quod SS. Eucharistiam concernit, auditores sui statis temporibus saluberrimam Domini mensam devote adeant, illos vero, quos ab imprudentia aut manifestis sceleribus censuerint indignos,

dignos, abigant, & donec ad vitæ frugem meliorem se receperint, removeant. Plura de utroque mysterio legere qui desiderat, ipsa magnorum Doctõrum monumenta, quæ Christiano orbi patent, lustrabit.

X. Ad Ordinis potestatem transferri quoque solent, quæ Episcopo, ut a Presbytero distinctus est, melioris ordinis causa in Ecclesia facta sunt propria, a jure divino tamen minime dependent, cuiusmodi sunt, *ordinare clericos, consecrare Chrisma, consecrare ades sacras & altaria, benedicere Abbatibus, Abbatissis, sacris Virginibus, tradere Spiritum S. conversis hæreticis, baptizatorum frontes signare Chrismate, mittere epistolas Formatas, & si quæ alia.* Inter hæc præcipuum censetur *Ordinatio*, qua Episcopus clericum nominatum, electum & confirmatum sacro ministerio peragendo per impositionem manuum & preces consecrat. Hanc quodam tempore soli Episcopi in Ecclesia peregerunt, teste Hieron. epist. 85. ad Euagrium: *Quid facit Episcopus, excepta Ordinatione, quod Presbyter non faciat?* puta jure Ecclesiastico. Inter alia, quibus Pontificii religionem suam fulcire conantur, est, quod docent, jure divino ordinationem solis Episcopis esse demandatam. Sed hoc immane falsum. Iure enim divino nullum inter Episcopos & Presbyteros intercedit discrimen, uti in superiori Exercitatione satis, ni fallor, ostensum. Deinde si juris divini esset Ordinatio ab Episcopis facta, Ecclesia Alexandrina, una e tribus illis præcipuis, Episcopos suos per Presbyteros ordinari non permisisset. Aliquot vero secula, & præsertim a Marco usque ad Heraclam in ea Episcopus a Presbyteris fuisse ordinaros, testatur laudatus Hieronymus; qui, quod ipse Presbyter fuerit, si suspectus videatur, testem adduco Eutychem, Patriarcham Alexandrinum, cujus verba ex Arabico in Latinum vertit Ioannes Seldenus: *Constituit item Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Hanania; qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut, quum vocaret Patriarchatus, eligerent unum e duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, cumque benedicerent. -- Neque desit Alexandria.*

dris institutum hoc de Presbyteris, ut sc. Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini, &c. Et vero quod in primitiva Ecclesia Ordinatione non ubivis terrarum Episcopis fuerit propria, declarant Canones post trecentos demum a Christo nato annos Ancyrae & Antiochiæ lati, in quibus demum ordinandi potestas solis Episcopis committitur. Excell. D. Conring. Def. Eccl. Prot. p. no. At omnino non esse juris divini Ordinationem, in initio hujus theses indicavi: nemo enim istud e SS. Lit. ostenderit. Hinc non est e numero verorum Sacramentorum, nec est de essentia sacri ministerii, sed tantum est quædam solemnitas, quæ ex Christiana libertate adhibetur. Præmittere ordinationi solent Episcopi inquisitionem eruditionis, & vitæ. Non immerito. Non enim a Deo vocatus censeripotest, qui eruditione singulari & vitæ innocentia non est conspicuus. Munus aliquod pro Ordinatione accipere, in antiquis Canonibus omnino interdicitur, cum Simonis speciem habeat. *c. quisquis. reperiuntur. 1. q. 2. &c.* Ex constitutione Imp. Comneni, quam Orientalis Ecclesia sequitur, non plus quam septem aureos nummos Clericus pro ordinatione persolvere tenetur. Ioach. Steph. l. 1. c. 7. n. 27. Instit. Iur. Canon.

XI. Reliqua adhuc est potestas jurisdictionis Ecclesiasticæ *ἐκτελεστικῆς* ita dictæ, quam itidem *ministerialem* seu *executivam* statuimus. Appellari solet potestas ligandi & solvendi sub Metaphora *Clavium, der Bind- und Löseschlüssel.*

Math. XVI, 19. Hanc Servator Petro his credidit verbis: *Et tibi dabo Claves regni caelorum; quicquid ligaveris in terra, erit ligatum in caelis; & quicquid solveris in terra, erit solutum in caelis.* Hisdem fere verbis postea omnes Apostolos alloquitur: *Quaecunque ligaveritis in terra, erunt etiam ligata in caelo, & quaecunque solveritis in terra, erunt quoque soluta in caelo.* Quod ita apud Johanne explicat: *Si quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; si quorum retinueritis, retenta sunt.* Per magna sane potestas, a Christo Ecclesiæ, & per illam sacris ministris demandata, ut quos ligaverint, remissione peccati retentia, clave non errante,

rante, etiam in cælis coram Deo sine ligati, & quos a peccatis absolverint, clave itidem non errante, in cælis a Deo sint absoluti. Quod vero non ita crude intelligendum, quasi Ecclesiæ ministri peccata quovis modo remittere queant. Solus enim ille, per quem totus homo creatus est, solus ille, qui velut agnus peccata mundi sustulit, & pro illis cruci est fixus, jus dicendi in animas atque adeo retinendi & remittendi peccata habet potestatem. At vero ministri Ecclesiæ, velut Christi in hisce terris *Vice Iudices* loqui sic liceat, remittunt peccata, *declarando*, ea a Deo esse remissa; retinent item *declarando*, ea a Deo retenta, seu, ut Petrus Lombardus, sententiarum Magister, sequutus Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum & alios, loquitur, *ostendendo homines ligatos vel solutos*. Non potest hinc non colligi, quod obiter subjungimus, reo antequam in fella confessionaria, ceu nominant, Pastorem accesserit, ipsique peccata confiteatur, hæc jam a Deo esse remissa, hoc saltem testare, ut qui apud Deum est solutus, coram Ecclesia solutus declaratur. Propositum nostrum Magister jam laudatus exemplis duobus venuste illustrat, quorum unum *de Leproso*, quem sanitati ipse Christus prius restituerit, postea ad sacerdotes ire jussit, quorum judicio mundatus ostenderetur; alterum *de Lazaro*, Christi Amico, qui prius a Christo vitæ redditus, discipulis deinde oblatu fuerit, ut solveretur.

XII. De potestate hac ligandi & solvendi tanta in disensione sunt Theologi, ut eorum molestum sit exponere sententias. Sunt enim qui ab illis, quos supra citavimus, abeuntes, docent, non in nuda ostensione seu declaratione potestatem istam consistere, sed simul veram peccatorum remissionem & retentionem importare; alii, quod *indirecte & tantum ex delegatione* Sacerdos, directe vero solus Deus peccata liget ac dimittat, & quod quidem Sacerdos peccata directe remittat, verum ea saltem, quibus Ecclesia fuerit offensa; cui ultimæ sententiæ affinis videtur Spakensium Archiepiscopus l. v. de Rep. Eccl. cap. xii. n. 51. Alii in alias eunt

sententias, quas in medium ut afferam, instituti ratio non admittit.

XIII. Liceat in presenti, quod maxime rem causamque continet, paulo altius indagare. Deus, misericordiarum Pater, certa media in donanda peccatorum remissione adhibet, in quibus primum est Baptismus, cujus qui rite fit particeps, is non solum labis originalis, sed omnis etiam peccati, quod actu committitur, si adultus sit, plenam consequitur remissionem. Cum vero explore perceptum sit & cognitum, mortales in peccata re labi, & Baptisma non esse iterandum, velut *secunda post naufragium tabula*, Pœnitentia medium ad peccatorum remissionem a Deo obtinendam statuitur. Hac quidem mortales non merentur remissionem, sed disponuntur, & apti fiunt ad consequendam divini Numinis misericordiam, seu hac, dum peccatum commissum detestantur, remissionis obstaculum amovent. Dividunt Theologi Pœnitentiam in *Internam* & *Externam Internam* vocant internam mentis ad Deum conversionem, seu interiorem peccati commissi cum dolore contestationem, in quo genere peccatorum remissionis Sacerdos nihil habet negotii, cum inter Deum & peccatorem secreto totum agatur. *Externam pœnitentiam* vocant Ecclesiasticam, in qua usus clavium locum habeat. Antiqua Ecclesia illam dixit *ἐξομολόγησιν*, qua peccator sua sponte sive publice sive privatim ministro Ecclesie dicitur confiteri peccatum, vel manifestum vel occultum, idque Clavibus Ecclesie & omnibus satisfactionibus Canonis ab Ecclesia impositis summittere.

XIV. In V. Ecclesia non solum manifesta, sed etiam occulta crimina lapsi interdum confitebantur, non solum sacerdotibus, sed etiam aliis fidelibus. Postea sufficere visum est, si lapsi peccata occulta Sacerdoti confiterentur, ejusque relinquerent arbitrio, an publicanda essent ad Ecclesie adificationem, an vero clam habenda, ita tamen, ut pœnitentia adhuc esset publica. Tandem factum, ut publica pœnitentia ad secretam seu privatam redigeretur, ortis tandem etiam

etiam apud Pontificios Confessione Auriculari, & Sigillo Confessionis, sub quo quicquid deponitur, Sacerdos secum retinere, nec ulli mortalium denudare tenetur c. Sacerdos. dist. 6. de pœnit. Sane, ut quod res est, dicam, non est de jure divino, ut peccata nostra Sacerdoti confiteamur: nam in toto sacrorum Bibliorum codice de consistendi illa necessitate, quam Adversarii acriter propugnant, altum est silentium. Quod inde etiam perspectum: nam sec. IVto Confessionem Sacerdotibus præstandam Ecclesia Orientalis penitus abrogavit, occasione stupræ a Diacono mulieris in pœnitentia manentis, de quo Sozomenus hist. Eccl. l. vii. c. 16. Id temporis libera concedebatur potestas, ut pro sua quisque conscientia SS. Eucharistiam adiret. Ex quo contra Pontificios observandum, quod Confessionem peccatorum ante usum S. Cœnæ coram Sacerdote peragendam juris divini esse, Veteres Christiani non existimaverint. Alias Christiani Orientales illam non antiquassent, si ad salutem necessariam divini-que juris esse statuissent. Neque Occidentali Ecclesiæ additi eam divini præcepti esse crediderunt; Si enim Græci rem a Deo mandatam, & Sacramentum, Baptismo suppar, quo locò Pontificii Confessionem habent, sustulissent, Occidentales non ita fraterne postea cum illis communicassent. Hi vero Occidentales ritum coram Sacerdote peccata consistendi constanter retinuerunt, Confessionem, quæ fit in aurem singulis enumeratis circumstantiis, & Satisfactiones, Pontificiorum figmenta, ignorarunt. Ingenue præ ceteris testari illud videtur Ambrosius, qui Commentario in Lucam: *Non invenio, inquit, quid dixerit filius perditus, quum ad Patrem rediret: invenio, quod severit; Lacrymas ejus lego, Satisfactionem non lego.* Plura hujusmodi annotavit Excell. D. Præf. in libello de D disciplina Eccles. Veterum Christianorum, nondum edito, cap. de Confess. Peccati.

X V. Ceterum hunc in finem data videtur Ecclesiæ potestas Ligandi & Solvendi, ut se puram & maculæ expertem conservet. Et ad hoc servit ligandi potestas, ut ejus virtute homi-

te homines ob manifestum crimen a cœtu fidelium excludantur, usque dum reconciliari mereantur. Pœnam illam *Excommunicationem* vocant, a qua longe diversa est *Excommunicatio*, quæ non est censura Ecclesiastica, sed *pœna Canonica*, quæ est, quando Episcopus Episcopum, Ecclesia Ecclesiam, Christianus Christianum, imo Ecclesia interdum suum Episcopum excommunicabat i. e. ejus communione abstinebat. *Excommunicatio* proprie dicta denotat exclusionem e communione cœtus Christiani, quam Canonistæ in *Majorem* & *Minorem* dividunt. *Minor Excommunicatio* dicitur, quam Patres *Medicinalem* vocant, qua peccator ab usu Sacramentorum secluditur, & satisfactionibus Canonicis subiicitur. *Major excommunicatio*, seu uti Patres nominant, *Anathema*, seu *Lethalis*, quando peccatores extreme refractarii & pertinaces a corpore Ecclesiæ, ut putrida membra, abscinduntur, eorumque nomina ex albo fidelium eraduntur. Plerique Theologi & Politici ad hanc referunt formulam, qua Paulus

1. Cor. V. incestuosum Corinthium excommunicabat: *Tradidi illum Satanæ*; sed minus commode, ut videtur. Facta est enim ista traditio ad interitum carnis, ut *salvus præstaretur Spiritus in die Domini Iesu*. Medicinalis itaque fuit, non lethalis. Fuit potius illud *Tradere Satanæ* mirificæ virtutis flagellum, quo corpori tormenta inflictæ sunt, quale & olim Saul post defectiorem a Deo, quale & Hiob, æquissimi animi vir, dum Satanæ ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem illum percuteret, quale & Paulus, eximius gentium Apostolus, dum Satanæ quotidie colaphos ipsi impingeret, sensisse videntur. Qua in sententia, teste H. Grotio, fuerunt *Chrysostrmus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Theodorus*, *Sedulius*, *Oecumenius*, *Theophylactus*, *Pacianus*. Ejusdem mirabilis virtutis fuisse videtur, *Virga Apostolica*, cum qua Paulus se Corinthiis venturum esse minatur, qua Petrus Ananiam & Saphiram tentantes, an latere possent, occidit, ut discerent ipsi suo malo, & 1. Tim. I, alii eorum exemplo, Deo nihil esse occultum. Eadem Paulus Hymenæum & Alexandrum, duos blasphemos & fidei nascentis

De Imp. Summ. Pot. c. IX,

2. Cor. XIII, 10. Act. V.

1. Tim. I, 20.

nascentis acerrimos oppugnatores, percussit, ut discerent non blasphemare, i. e. ut hac pœna admoniti resipiscerent. Nimirum potestatibus terrenis jus puniendi ad purgandam ecclesiam non exercentibus, *Apostoli, veluti Carnifices, usi sunt Damonio*, uti Chrysostomus dicit homil. 3. in Iobum; seu ut laudatus Grotius in laudato loco: *Deus ipse, quod terreni auxilii deerat, celesti auxilio supplevit.*

XVI. Majori excommunicationi respondere videtur illa, quæ apud Judæos recepta, quam appellant *excisionem seu exterminium animarum seu hominum a populo Judaico* de qua Genes. xvii, 14. *Excindetur anima illa a populis suis!* i. e. uti Cornelius Bertramas in libro, de republ. Judaica, exponit: *Ejusmodi homo non amplius censebitur in populo Dei.* Apud Judæos quoque immanis flagitii reus non solum a templo, sed etiam a Synagoga pellebatur. Vnde apud Johannem legitur, quod pœna illa illis indicta fuerit, qui Jesum confiterentur esse Christum. Eadem pœna Apostolos a Judæis multatum iri, Servator prædixerat Joh. xvi, 2. q. d. *Ἀποστραφῆναι ποιήσασιν ὑμᾶς.* Excommunicationo qualis apud Essenos fuerit, narrat Flavius Josephus l. ii. c. 7. Apud gentiles similes execrationes in usum fuere, ut apud Romanos, cum aliquis ob facinus aliquod nefandum Diti devovebatur, sive Diris, ut tradit Dionys. Halicarnass. l. ii. Hic enim post talem devotionem a quovis impune poterat occidi. Cæsar atrocitatem hujus censuræ apud Barbaros satis ita indicat l. vi. de bell. Gall. *Si quis aut privatus aut publicus eorum (Druidarum) decreto non stetit, Sacrificiis interdicunt.* Hac pœna apud eos est gravissima; Quibus ita est interdictum, si numero impiorum ac sceleratorum habentur; iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neque iis perentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. Excommunicationis igitur usus aliquis quod fuerit apud Judæos & Gentiles, hinc præsertim constat.

XVII. Quam timenda sit ecclesiastica illa excommunicatio, explicat Augustin. super Deut. IX, 39. ubi ait: *Hoc*

L

NUMC

nun: agit in ecclesia excommunicatio, quod faciebat in veteri lege interfectio. Quanto expositus periculo sit excommunicatus, S. Cypr. de simpl. Præt. indicat: *Si, inquit, non potuit evadere, qui extra arcam Noë fuit, qui extra ecclesiam foris fuerit, evadet?* & infra: *Frangere ramum ab arbore, fructus germinare non potest: a fonte præcinde rivum, præcisus arefcet.* Brutum vero fulmen est, & inane terculamentum Papæ Romani, quod, dum omnem potestatem *divorogare* sibi vindicat, contra verbum Dei, omnemque rationem naturalem & civilem, toties in Imperatores, Reges & Principes, impudentem in modum eructavit, ita ut non dubitaverit illos exauctore, & in eorum locum alios substituere, imo subditos a juramento fidelitatis solemniter præstito absolvere, iisque, licet renitentibus, alios obtrudere. Lubricum imo ridiculum est fundamentum, quo potestatem suam fulcit. Nimirum duplex Petro ejusque successoribus ministerium putat demandatum, *Pascere & Occidere*, Act. x. 13. Hinc ita Cæsar Baronius Paulum. V. in causa Venetorum alloquitur: *Pascere oves est, curam gerere obsequentium fidelium Christianorum, mansuetudine, humilitate ac pietate oves & agnos præ se ferentium. Quum vero non cum ovibus & agnis negotium sit, sed cum leonibus, & aliis feris animalibus, refractariis & adversantibus agendum sit, jubetur Petrus eos occidere, obistere scilicet, pugnare & expugnare. Occisio ista non est crudelitas, sed pietas atque sincera charitas, cum sic occidendo salvat, quod & modo finendo vivere perierat.* Hucusque Cardinalis. Et tantum de ligandi potestate.

XVIII. Verbo adhuc de potestate solvendi, quæ reconciliationem producit. Est autem *Reconciliatio* posterior actus clavium, qui peractæ pœnitentiæ succedit, qua pœnitentes in terris a peccatis absolvuntur, quam, clave non errante, reconciliatio seu solutio etiam in cælis sequitur. Solvendi hanc potestatem, Montanistæ & Novatiani, Ecclesiæ ademptum ibant, docentes, quod Ecclesia, seu loco ipsius, verbi divini ministri, lapsos ad communionem suam admittere iterum non possit, urgentes illud Hebr. vi, 5. 6. *Fieri non potest,*

rest, ut qui semel fuerint illuminati, gustaverintque donum illud celeste, & participes facti fuerint Spiritus Sancti, gustaverintque bonum Dei verbum ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, denuo renouentur ad resipiscenciam. Quod dictum, vel de difficultate agenda post Baptismum pœnitentia, vel de peccato in Spiritum S. commisso accipiendum. Altera ipsorum ratio fuit, quod Ecclesia in cor pœnitentis inspicere non possit, adeoque nec scire, an lapsus ex animo, an vero fide peccatorum pœniteat. Idcirco potestatem absolvendi a peccatis Ecclesie denegarunt, non Deo; lapsos enim adhuc internæ pœnitentia reliquerunt. Ex quo pariter manifestum, Manichæos & Novatianos, præcisè & non *ingliscè* loquendo, non ipsius pœnitentia *interfectores*, quomodo nominantur tam a veteribus quam recentioribus, sed reconciliationis pœnitentium olim cum Ecclesia, potius esse dicendos.

XIX. Ceterum fiebat reconciliatio restitutione communionis; per quam non intelligendus est solus SS. Euchari- stia usus, (qui permultorum est error,) sed omnes etiam reliquæ sacrorum partes, v. g. Lectiones sacræ, Psalmidia, Preces, Conciones &c. imo etiam civilis convictus. Nam ab his omnibus exclusi fuerunt lapsi, dum omnes reliqui Christiani illos fugiebant, ut membra putrida, nemo aspectu illos dignabatur, &c. Jam vero si hæc omnia exclusio a communione complectitur, evidens est, restitutionem communionis in hisce omnibus fuisse sitam.

XX. Hactenus quæ recensuimus, in his proprie Episcoporum & Pastorum consistit potestas, hæc sunt jura, quæ in Ecclesia exercendi, episcopi & Pastores habent potestatem. Non quidem hi soli. Nam potestatem, docendi verbum Dei & baptizandi, communem primum factam ex aquo fuisse omnibus, liquido ex diversis historia Apostolicæ capitibus apparet. Vnde Autor Comment. epist. ad Ephes. qui vulgo Ambrosius audit, ad caput iv. *Primum, inquit, omnes docebant, & omnes baptizabant, quibuscunque diebus vel temporibus esset occasio. Item: Omnes inter initia (Christianæ Ecclesiæ) docebant*

cebant & baptizabant, ut cresceret fidelium numerus, Hier. Dial. adverst. Lucif. Scimus, si necessitas cogit, etiam licere Laicis baptizare. Tertullianus, latinorum Patrum antiquissimus, l. de coron. mil. agnoscit, Eucharistiam faciendi potestatem omnibus a Deo esse mandatam. Potestatem Clavium non solum Episcopis & ordinatis Pastoribus concessam esse, docetur Matthæi xux, 19. Hinc ita Theophylactus: *Non solum que solvunt Sacerdotes sunt soluta, sed & quæcunque nos, injuria, affectu, vel ligamus vel solvimus, & ipsa erunt ligata vel soluta.* Sic & Episcopus Hipponensis: *Si fratrem habes pro Ethnico (ratione ejus, quod non credat) & publicano (ratione morum & vitæ) ligasti illum in terris: Si correxeris fratrem, solvisti illum in terra.* Constat igitur, quod Ecclesiæ quodvis membrum sacra publice & privatim peragere possit. Hinc singuli fideles Deo chari appellantur *sanctum & regale Sacerdotium, regnum sacerdotale & gens sancta.* Nec, quia cæde Stephani Evangelium prædicarunt, nec Philippus Diaconus, qui baptizavit, nec Priscilla & Aquila viam Domini exponentes Deo displicuerunt. Mentem meam clarius, ut exponam, omnibus Christianis, cum omnes coram Deo sint Sacerdotes, jura illa Episcopalia, quæ in docendo verbo Dei, Sacramentorum administratione, & clavium potestate consistunt, exercere licet, sc. si desint ordinarii Ecclesiæ ministri: qui si adfuerint, rite ab his exercentur oportet, Laicis exclusis. Hoc est, quod dicit laudatus Autor comm. epist. Ephes. *Postquam vero officia in Ecclesia sunt ordinata, nullus de Clero audeat succedere officium, sibi non conceditum, ne mysteriorum administratio fiat res vulgaris.* vid. B. Dn. Conring. in Defens. Eccles. Protest. arg. 2. p. 45. & seqq.

Homil.
XV. de
verbo Do-
mini.

1. Pt. II. 5
& 9.

Exod.
XIX, 6.

XXI. Iura Episcopalia huc usque perpensa interna nuncupari queunt, quæ sibi ab Ecclesia commissa Episcopi imo omnes Pastores exercendi habent potestatem. Sequuntur igitur externa, quæ maximam partem ad Principes, utpote qui *xptos* potestatem circa sacrum cultum habent, merito referenda. Nimirum Episcopo, quæ tali, *Cathedra* duntaxat competit,

competit, in qua sedenti, populum docere, convenit. Is itidem, qua talis, Sacramenta administrandi potestatem habet, atque auctoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rursus absolvendi eos, si conversi absolutionem poseant, ceu haecenus e SS. lit. demonstratum. Hujus potestatis, horum jurium habito respectu, omnes, qui Christo nomen dederunt, imo omnes fideles Principes ac Reges Episcopis debent obsequium, imo optimi quique Principes se subiectos illis ultro agnoverunt. Luculento inter illos exemplo sit Constantinus Magnus Christo devotissimus Imperator, quem admiranda modestia Episcopos ita alloquentem Chro-
 nicon Spirensium eruditus Scriptor inducit: Gott hat euch zu Bisthümern gesezet / und hat in dem uns euren Urtheil unterworfen. Derhalben traget ihr auch das richterlich Ampt recht mässig über uns / über euch, und in eurer Sachen soll niemand Richter seyn / als Gott / und das gezänck, so zwischen euch entstanden / will ich Gottes Gericht und Examen übergeben. Ihr seyd unsere Götter / und ist ungereimet / daß ein Mensch über Gott Richter seyn solte. Die Bischöffe sind die / so uns Gottes willen verkündigen / die / der Apostel Exempel nach / die Kirchen pflanzen / das Volk leiten und führen / die Wahrheit beschirmen / falsche Lehr widerfechten / die beschwerte trösten. Sie sind Prediger der ewigen belohnung / Väter der Wiedergeborenen in dem Christlichen Glauben / Spiegel und Exempel der Tugend und alles guten / darnach sich alle Gläubige zu regulieren / welche alle Fromme lieben / die Boshaften wegen böse Gewissens scheuen und fürchten. Sie sind eine Stierde der Kirche / durch sie hat die Kirche glanz und schein. Sie sind feste Steulen / darauf die ganze Christliche Gemeine bestehet. Sie sind des Himmels Thorhüter / denen die Schlüssel vertrauet sind. Ita religiosissimus Imperator, cujus egregia verba, licet plausible, inserere allubuit. Tribunal seu Imperium Majestatis civilis est proprium, quo etiam cura & defensio Ecclesiae directe spectat, a quo contra sacrorum functionem longe esse oportet distinctam. Suum itaque Episcopus, suum Princeps

obire munus tenetur. Pulchre hinc gloriosissimus Imperator, quem modo laudavi, se externarum rerum Episcoporum **Euseb. de esse** profitetur: *Vos* (sic enim Episcopos, quos convivio ex-
vita **Con-** ceperat, alloquitur) *intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam a Deo*
stant. **LIV. Episcopus sum constitutus.**

c. 24.

XXII. At vero quoniam temporis progressu Episcopi vel ipsi sibi vindicarunt, vel Principes illis indulserunt curam circa sacra, hodieque in Imperio regalia habent, atque adeo geminam sustinent personam, *Præsulis & Principis*, juri-
um quoque Episcopialium ratio bene distincta erit incun-
da. Varie autem jura Episcopalia solent distribui. Antiquis-
sima nec omnino reprobanda videtur distinctio, qua quæ-
dam ad Episcopos spectare dicuntur jure Ordinis, quædam
lege Diocesana, quædam denique lege jurisdictionis. *c. Con-*
querente. c. Dilectus, de offic. ordin. Alii aliter jura Episcopa-
lia secant, ut quædam Episcopis competant ratione Ordinis,
quædam ratione jurisdictionis, quædam ratione simplicis di-
gnitatis. Alii unicam faciunt legem Diocesanam, & sub ea
legem jurisdictionis, id est omnem potestatem Episcopis
competentem comprehendunt. Nos ab instituto ne longe
peregrinemur, rationes divisionum allatarum in præsens non
nimis. Dividere jam nobis liceat jura Episcopalia *in interna*
& externa, & externa in ea quæ legem Diocesanam & quæ l.
jurisdictionis concernunt, subdividere. De internis hæctenus
de externis in sequentibus, & primo quidem de *L. Diocce-*
sana.

XXIII. Hæc appellatur *ἀπὸ τῆς διοικήσεως*, Græca voce,
qua Demosthenes, Hefychius & alii *Administrationem*, Hefy-
chius præcipue *Dispensationem seu expansionem* denotat. Roma-
ni vocem istam sua quoque donarunt libertate vocantes Di-
cecesin, procurationem vel gubernationem officiorum in cer-
tis Provinciæ partibus. In singulis Provinciis diversæ
Rom. An-
tiq. l. X. erant Diocesæ, sive, ut explicat Rufinus, *diversi conventus ac*
c. 22. *diversa fora, quibus sue cuique civitates attribuebantur.* Minores
Provincias Tullius Diocesæ appellat in epistolis nonnullis
&

& ad Familiars & ad Atricum scriptis. In Ecclesia Præfules nomen illud retinuerunt, & initio singulorum Episcoporum Parochiæ dictæ sunt Diœceses. Post tempora Constantini Magni Diœceses a Provinciis ubique distinctæ inveniuntur, ita ut Diœcesis nominetur, quæ multas in se habeat Provincias, teste Ioanne Zonara in Canonem vi. syn. Conf. i. p. 76.

XXIV. Ad L. Diœcesanam Canonum autores reducunt omnia, quæ ratione personarum & bonorum Ecclesiasticorum, sine omni tamen jurisdictione, per Diœcesin suam administranda incumbunt Episcopo. Inter quæ principale est *Visitatio*, seu inquisitio in doctrinam & vitam inferiorum Ecclesiæ ministrorum & bonorum Ecclesiasticorum administrationem. *Vsitationem* Episcopus expedit vel ipse, 10. *quæst.* 1. c. *Decrevimus* vel per alium, eumque vel Presbyterum vel Diaconum, *can. seq. Episcopum*. Ut annuis vicibus Diœceses visitentur; vel quoties necessitas exigat, sanciunt c. *Decrevimus* 10 *quæst.* 1. c. *conquerente*, de *off. jud. ordin.* &c. Non amplius, quam, una die per unamquamque Parochiam commemorandi, neque ultra duos solidos a Parochianis Ecclesiis Episcopi habent potestatem. c. *Placuit*. c. *Inter cetera*, c. *illud* 18. q. 3. Ne nimis sumptibus graventur Ecclesiæ, sancitum est, ne Episcopus visitans Ecclesias pluribus quinque equis utatur, c. *cum Apostolus*. ext. de *Censibus*. Nec licet Episcopo sumptus pro lubitu facere, & exigere nomine visitationis, quodcumque vult, ne longi temporis victum brevis hora consumat. c. *cum Apostolus*. 6. in *princip.* de *censib.* sed ea tantum acceptare potest, quæ offeruntur, & his contentus esse debet, Socin. in tractat. de *Visit.* Sancitum porro est, ne Seculares, sed duos vel tres Canonicos suos cum aliquibus religiosis secum visitationis tempore introducat. c. *Ve juxta*. de *off. jud. ordin.*

XXV. Hic vero finis, hic præcipue scopus *Vsitationis* statuitur, ut Episcopus in doctrinam & studia Pastorum suæ Diœceseos vigili cura inquirat; ut cognoscat, an præterea vita

vita illorum sit innocens & scandali expers. Sanctior namque vita fere non minus quam doctrina mortalium animos afficit. Itaque tam doctrina quam vita clarere debet Ecclesiasticus ordo. -- Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ut, qui docet verbo, instruat exemplo. Vera enim est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque prædicat, explere opere negligat &c. Ita Isidorus in Ludovici Pii Reformatione Ecclesiastica, quæ exstat apud Goldastum Haimensfeldium Tom. II. p. 197. Porro hic scopus figitur visitationis, ut, quos in doctrinæ Christianæ & pietatis studio reliquus populus, præsertim juniores, fecerint progressus, Episcopus exploret, quænam Scholarum, in iisque & docentium & discipulorum, sit ratio, expiscetur; ut denique etiam redituum & bonorum Ecclesiasticorum rationes ipse inspiciat. Administrat autem Episcopus bona Ecclesiastica vel ipse, vel per Oeconomos Ecclesiasticos, quos Provisores vocant. Qui Provisores vel ab Episcopo constituuntur, vel a Clero eliguntur, suntque Episcopo ad rationes reddendas obstricti. Ad quas etiam Patronus Laicus, si hoc sibi expresse reservaverit, admitti aliquando solet. Hæc & bene plura alia Conciliorum decreta, Ius Canonicum, Wesenbecius Confil. 45. p. 1174. ut & diversæ Constitutiones Ecclesiasticæ de Visitatione late prosequuntur.

XXVI. Ad L. Diæcesanam potestas Concilia seu Synodos cogendi quoquo refertur. Concilia alia sunt *ὀμολογητικὰ* i. e. universalialia, alia *τοπικὰ* seu Particularia. Universalialia Concilia convocare proprie est illius, qui majestate eminet, & potestate cogendi instructus est; huic enim quia constituendi, ita etiam conservandi Ecclesiam atque adeo Concilia universalialia congregandi competit potestas. Neque etiam salva esse potest majestas, si potestate concilia convocandi destituatur, ratione sc. habita turbaturum, quæ ex Theologorum controversiis oriri, Resque publicas sæpenumero quater confueverunt. Jure ergo Principes Concilia semper convocarunt, VII. c. 6. direxerunt, dimiserunt. Hoc jure Constant. M. concilium Ni-

Euseb. vit.
Const. l.
VII. c. 6.

Nicenum coegit, & Episcopos per literas, ut eo maturarent, Ruf. l. r. accivit; huic concilio ipse interfuit. Sic enim de se ipsemet hist. c. r. ad Nicomedienfes seribit: *Non vos praterit, concilium Niceæ* Sozom. celebratum, cui ipse, sicut conscientia mea munus postulabat, inter- l. i. c. 16. fui. Nec modo interfuit, verum etiam praesuit, quaestioni- Theod. l. bus excutiendis, ritibus examinandis moribus dijudicandis 8. c. 5. & se socium & administrum adjunxit. Cujus illam gravissimam alibi. vocem recitant Scriptores rerum Ecclesiasticarum, ex eo quidem scripto, quo absentes de rebus in Concilio gestis certi Euseb. vit. ores facit: *Non enim, inquit, negaverim, de quo maxime gau-* Const. deo, *fuisse me servum vestrum, quoad cuncta essent competenter* l. iii. c. 16. *exquisita, ac donec sententia omnium gubernatori Deo placita, ad* Socr. l. ii. *unitatem & consensionem in lucem produceretur, nec quicquam am-* c. 9. *plius ad dissensionem aut fidei controversiam superesset.* Hunc Imperatorem in convocandis Conciliis ceteri imitati sunt Imppp, quibus potissima orbis Christiani portio competebat; Theodosius Senior Constantinopolitanum, Theodosius junior Ephesinum, Martianus Chalcedonense Concilia congregavit. Laudata quatuor Concilia appellantur *διεσπέρνικα ἀπὸ τῆς διασπέρνως*, quæ vox late accepta universum terrarum orbem, strictim Imperium Romanum connotat. Quoad prius significatum, nullum Concilium fuit Oecumenicum, quia nullus Imperatorum, nullus Regum aut Principum, penes quos Concilia convocandi potestas, totam *διασπέρνω* sibi unquam habuit subjectam. Ratione igitur posterioris significati Concilia appellari videntur Oecumenica sive universalia. Universale autem Concilium non ex una aliqua natione, sed ex omnibus, qui sub signis iisdem IESU CHRISTI militare præ se ferunt, constare debet; quales sunt Græci, Æthiopici, Armeni, Rutheni, & qui Joannis Presbyteri (hoc enim nomine Monarcha ille vocatur) imperio subjecti, qui Christi religionem sequi dicuntur. In his omnibus & fortean pluribus, Ecclesia Christi conspicitur. Verum itaque & legitimum ut sit Concilium Oecumenicum, hi omnes convocentur necesse est. Quod nisi fiat, non futurus erit universæ Ecclesiæ

M

consen-

consensus, adeoque nec Concilium vere Oecumenicum. Concilium enim Oecumenicum legitime congregatum Ecclesiam universam representat. Propterea etiam non tantum Clericis, verum etiam Laicis Concilio interesse convenit. Quod enim omnes attingit, ab eo etiam nemo est excludendus. Hinc Nicolaus Papa in epist. ad Michaellem Imp. recte censet, Imperatores ab iis synodis non esse excludendos, ubi de fide tractetur: *Quæ fides, inquit, universalis est quæ omnium communis est, quæ non solum ad Clericos, verum etiam ad Laicos & ad omnes omnino pertinet Christianos. Dist. 96. c. Vbinam.* Carolus Molinaus in Notis ad hunc Canonem, quod de Laicis asseritur, ad Laicos doctos vult restringi. Res est autem clara ac satis testata, quod inter Laicos plurimi doctrina & prudentia singulares inveniantur, in SS. Theologia etiam exercitiores, quam sint multi Episcoporum & eorum, qui Theologi volunt salutari, ut non possit non Ecclesia exilio exponi, si his solis concedatur, illis vero adimatur de controversiis, quæ fidem & mores spectant, judicandi potestas. De iudicibus Concilii universalis, de loco, de legatis ad illud mittendis, quid item de Conciliis, quæ Romana Ecclesia jaëtat, maxime de Conciliabulo ipsius Tridentino sit æstimandum, de hisce omnibus angusta disputatione agendi, nullum relinquitur spatium. Pergimus itaque ad Concilia minora seu particularia.

XXVII. Hæc in *Diœcesana* seu *Nationalia* & *Provincialia* subdividuntur. *Diœcesanum Concilium* appellatur, quod Patriarcha per totam Diœcesin convocat. *Provinciale*, quod a Metropolitano seu primæ sedis Episcopo per provincias congregatur. Hinc saltem manifestum, quod latitudine quadam Diœcesanum Concilium antecedit Provinciale. Nam uti supra observatum, Diœcesis vocatur, quæ multas in se continet provincias. Sic. e. g. Philippopolin seu Adrianopolin Provinciam, Thraciam vero vel Macedoniam Diœcesin dicebant. Diœcesæana concilia rarius, Provincialia primum bina vice in anno, deinceps quotannis habebantur, & ab his ad illa

ad illa provocabatur. Plura si quem de his juvet cognoscere, ipsos Conciliorum Tomos & Canones adibit.

XXVIII. Porro vi L. Diœcesana Episcopi *Synodaticum*, quod & *Cathedraticum* vocant, percipiendi habent potestatem. Synodaticum dicuntur duo solidi, quos in Synodo Episcopali ad conservationem & ad honorem cathedræ singuli Clerici Episcopo quotannis persolvunt *c. Conquerente de offic. jud. ord. 10. quæst. 3. c. Placuit.* Iuxta eandem legem Diœcesanam Episcopus potestatem habet exigendi *Subsidium Charitativum, Mortuorum quartam, quartam ex decimis.* Charitativum subsidium vocant Canonistæ jus Diœcesanum quod Episcopus Ecclesiæ necessitate flagitante tributum indicit & impetrat. Dicitur Charitativum seu Charisterium, quod ex gratia & charitate, non coacte conferatur. In eo casu autem exigitur, si quando Imperator aut princeps apud Episcopum divertat, aut si Episcopus sine sua culpa ab hoste captus se velit redimi, aut alio in casu. *c. conquerente de offic. jud. ord. c. nullus Episcopus. 1. quæst. 1.* Mortuorum seu funeralium quartam nuncupant quartam partem eorum, quæ legata & relicta sunt Ecclesiis, quæ pars Episcopo cedit. *d. c. Conquerente,* quo canone etiam de quarta ex decimis videre licet.

XXIX. Ad L. Diœcesanam quoque remittimus *Academiæ curam atque administrationem.* Ius quidem Academiæ confirmandi & privilegiis donandi, velut unum e majorum regalium numero, Imperatori reservatum est. Ex hujus autem indultu Episcopi potestatem habent Publice & solemniter renunciandi Doctores, Licentiatos, Magistros summarum disciplinarum, quas Facultates vulgo dicunt; item Poëtas, Tabelliones. Sunt proinde Episcopi *Academiæ Cancellarii,* & jus habent nominandi Procancellarium, qui Decano promovendi Candidatum copiam faciat. Referunt quoque ad Iura Episcoporum Diœcesana *Scholarum, quæ Triviales vulgo audiunt, curam atque inspectionem.* Carpzov. *l. 1. jurispr. consil. tit. 1. def. 9.* Nec id immerito Sunt enim Scholæ Ec-

clesiarum seminaria, iisque non modo universæ reipublicæ beatitudo, sed etiam Ecclesiarum salus, tanquam Atlante quodam, fulcitur. Neglectis literarum & virtutum templis, qualia Scholæ vere existunt, Ecclesiæ pariter pessum erant, necessum est. Olim & apud prima Ecclesiarum secula Reges & Principes Scholarum curam suosque filios informandos maxime Episcopis commiserunt, Baron. an. 626. n. 26. an. 639. n. 20. Imo ipsimet Episcopi juventutem, ætatem lubricam, salubribus præceptis ad pietatem, humanitatem omnesque vitæ partes instituisse passim leguntur. Inter le-

ges a Carolo M. latas hæc solet laudari: *Hoc flagitamus vestram almitatem &c. ut non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios aggregent, sibi que socient, & ut Scholæ legentium puerorum fiant, Psalmos, notas, computum, grammaticam per singula monasteria vel Episcopia discant, sed & libros Cartholicos bene emendatos habeant, quia sepe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant.* Huc usque Carolus, ad cuius usque tempora & post illa Episcopos informandi laborum non puduit, sequutos scilicet exemplum Servatoris, qui & ipse Scholam constituit, qui & ipse Præceptor appellari voluit, & discipulos habuit selectos, quos extra frequentiam hominum erudit. Imitati iidem sunt Apostolos, qui singuli, quin suos habuerint discipulos, non dubitandum est: quemadmodum de Paulo memoriæ proditum est, ab illo Titum, Timotheum, Lucam Antiochenum privatim extra cœtus hominum institutos esse, ut & ipsi dogmata cœlestia ad posteritatem propagarent. Docendi munere functos olim fuisse etiam *Canonicos*, quos ita dicimus, conjicit Fricius Modrevius, reipublicæ informator prudentissimus; hos dicit fuisse, qui Canonicis Bibliis in primis studuerint, & atque ex illis & controversias de religione explicaverint, & hæreses domuerint; qui porro studia adolescentium statim temporibus ipsi inspexerint, magistris Scholæ vel prostibendo, vel disputando, vel styllum formando juverint. Tam æqui ea seculorum felicitate Scholarum æstimatores fuerunt, non

Lib. V. de
emend. re-
publ. c. 2.

non modo, qui in Ecclesiis ordinis duxerunt, verum etiam summi Principes atque Imperatores. Exemplo plus quam si upendo sit Carolus Magnus, qui ingenia seculi sui omnibus modis fovit, artium liberalium Doctores præter ceteros egregie veneratus, magnis illos beneficiis affectit. Vox illius pene divina celebratur: *O si mihi fata duodecim Hieronymos Aventinus Augustinosve concederent!* Non præteriri debet, quod doctis. l. IV. Annal. Boj p. 220. & 221. delictet quod ipse (at quantus Imperator!) Scholam aliquando visitaverit, & Epistolas, orationes, versus, adolescentum exercitia, ut periculum de ipsorum ingeniis atque indole faceret, sibi exhiberi jusserit, ubi tenuiores præter spem profecisse, nobiles vero vanis hujus mundi rebus deditos cultum animi neglexisse, deprehenderit, illis ad dextram se gregatis, dixerit: *Vos quidem macti virtute estote, filioli pietissimi, qui nostro imperio gnaviter defuncti estis, vestra erunt Sacerdotia locupletissima & Pontificatus maximi. Ego vos in aulam ascisco, ex vobis Senatores cooptabo, vos in album Prætorum & Patrum curiam adlegam.* Deinde Nobilium liberos a læva collocatos, vultu iram non dissimulans, alloquitus: *At vos Comatuli & delicatuli, freti opibus & splendore Parentum, nostram majestatem consprevistis, vitia, otia, luxum & inertiam bonis literis, contempto decreto nostro, prætulistis, juro, & Deum immortalem testor, nihil penitus commodi, honoris, ne obolum quidem ab Imperatore vestro, cujus jussa aspernati estis, expectate: faxim, ut omnibus mortalibus ludibrio vivatis & in vos exempla edam, nisi respueritis & negligentiam diligentia expiaveritis.* Sic Imperator. Hæc vero & Principium & Episcoporum cura prime fuit de docentibus & discantibus, ut illi publica autoritate ad docendum idonei, isti ad discendum apti deligerentur. Secunda, ut justa præmia & debiti honores docentibus constituerentur. Non immerito id quidem. Non enim minor Doctoris Scholæ labor quam reliquorum, qui Ecclesiæ & Reip. dant operam, utilitas par aut major. Quod si his civitas carere nequit, quomodo illis carebit, qui curam sustinent

ment conservandarum & propagandarum artium ac scientiarum, quas Ioannes Boterus *divinae sapientiae radios* vocat, e quorum studiis plurima & maxima emolumenta in Ecclesiam & Remp. redundant?

XXX. Ad L. Diœcesanam insuper referimus *Legislatoriam seu potestatem sanctiones Ecclesiasticas erigendi & constituendi, Kirchen-Ordnungen auffzurichten* / quam potestatem Majestas civilis quondam Episcopis concessit *cumulative*, non *privative*, ut Scholasticorum lingua loquar. In eiusmodi constitutionum Ecclesiasticarum libellis, ut in domo Dei omnia ex ordine & decore se habeant, quædam instituuntur circa ipsam colendi Dei rationem, de quibus scilicet in Verbo Dei non est prohibitum aliquid instituire, v. g. ratione Concionum, Psalmorum, & similibus ejusmodi; quædam de personis sacris; quædam denique de bonis Ecclesiasticis. Hujusmodi statuta quoniam sunt humana & positiva, quando vius ita exigit, mutare & abrogare licet. Ab illis vero, quæ ipsi Apostoli in SS. lit., quæ sanctissimi Episcopi & Patres in genuinis Canonibus constituerunt, cum sint istar juris gentium, & in usum universalis Ecclesiæ transferint, non temere recedendum videtur. Accensemus denique L. Diœcesanæ *juris sepultura*, de quo in jure Canonico 13. quæst. 2. & c. Clement. 1. 3. tit. 7. de sepult. item Carpov. Jurispr. Consistor. 1. r. tit. 1. def. 10. Inter Augustanæ Conf. addictos ad jus Patronatus refertur, ut, si quis in templo sepeliri velit, Patroni consensum habeat. Sprengerus jurispr. publ. c. x. p. 281. Hæc itaque sunt præcipua L. Diœcesanæ capita; quibus recensitis, exigit instituti ratio, ad L. jurisdictionis ut transeamus.

XXXI. Jurisdictionem, ut supra monstrare conati sumus, Episcopus ut Episcopus non habere censetur. Cuiuslibet enim jurisdictioni aliquid imperii, quales Episcopi nullum habent. Quam illis tribuunt jurisdictionem, ea in civili jure *Audientia* audit *Inrub. c. de Episc. audient.* Hanc, Episcopus exercet in omnes Clericos, in eorumque totam fami-

familiam, tam in civilibus & criminalibus, quam Ecclesiasticis causis, & in Laicos in Ecclesiasticis tot. caus. ii. q. 1. In criminalibus executionem Vicariis mandat, præsertim si flagitium pœna capitali plectendum videtur; & tum *brachium seculare* implorare dicitur. Quod si Clericus saltem pœnam corporis afflictivam promeritus sit, e. g. fustigationem, proceditur secundum *c. cum fortius*, de *Calum.* nimirum degradatur, & verberibus publice castigatus in exilium ab Episcopo eiicitur. Ut ejusdem I. Jurisdictionis Episcopus Clericos, si mereantur, ab officio & dignitate movet, dimittit, suspendit. *c. tuarum. extr. de privil. & excess.* absolvit a juramento illegitime extorto. *c. si vero c. cum quidam, de jurejur.* dispensat de gradibus, jure duntaxat Canonico prohibitis *c. quia. extr. de Conf. & Aff.* Huc quoque pertinent omnes causæ matrimoniales Sponsaliorum, Divortii, *c. multorum. 35. quæst. 6. c. euphemium in fin. 2. q. 3. c. ad abolendam 6. extr. de hæret. & Carpov. jur. Conf. l. 2 tit. 1. def. 1. n. 1.*


XXXII. Atque hæc pro viribus ac tempore *ὅς ἦν ἐπιτομή* exhibita volui de jurisdictione, & omnino de juribus Episcopalibus plerisque. e SS. Literis, conciliorum & juris Pontificii Canonibus collectis tam internis, quam externis seu Diocesæ & jurisdictionis, quorum illa Ecclesiæ, hæc vero Principibus, & iis qua talibus, & qua præcipuis Ecclesiæ partibus proprie vindicantur; quæ tamen fere omnia Episcopi Papales, ambitione, communi Clericatus Romani vitio, dati præcipites, sibi arrogarant. Magna sane Principibus & populo illata injuria! Tandem avorum nostrorum memoria cum clarissimum sancti Evangelii lumen, autore Martino Lutero, generosi animi Præcone, certe divinitus excitato, in potissimis Germaniæ terris fulgere cœpisset, Principes & Status Imperio immediate subiecti iique Augustanæ Confessioni addiæti, Passavii compositis inter se omnium Imperii Ordinum animis, & sancita deinceps Religionis pace, jura Episcopalia receperunt. Quæ Pax tot Capitulationibus Imperatorum, (qui hodie tamen in causâ Religionis non ut

N
capita

capita Imperii, sed ut partes considerantur,) & Osnabrugensi
 Pactione roborata, aliter quam vel Concilio generali; vel
 alia quadam amica compositione tolli aut reformari nequit.
 Wo die vergleichung / durch die Wege des General. Concilii,
 National. versammlung/ Colloquien oder Reichshandlungen nicht
 erfolgen würde / soll als denn nichts desto weniger dieser Friede
 stand / in allen oberzehlten Puncten und Articulen bey Kräfftten /
 bis zu endlicher vergleichung der Religion und Glauben. Sachen/
 stehen und bleiben. Recept. Imper. de anno. 1555. Hippol. a La-
 pide de Rat. Stat. part. 1. c. 11x. Ceterum Principes & Status
 Imperii jura Episcopalia sic temperant, ut Interna sacris mi-
 nistris committant; de Externis vero alia per Superintenden-
 tes, qui, notante Claris. Rittershusio, sunt Episcoporum lo-
 co, alia in Consistoriis per Consiliarios, quos inde Consisto-
 riales vocant, qui partim sunt Politici, partim Ecclesiastici,
 & e quibus unus est Director seu Praes Consistorii, pera-
 grant; alia denique sibi solis reservent. Singuli Principes
 suas, quoad ritus Ecclesiasticos & jura Episcopalia, habent
 Constitutiones, quae cum variant, potius ac melius ritus &
 jura Episcopalia ex illis ipsis, quam ex angusta disputatione
 perspicere licebit. Nos itaque cum Principe Principum eo-
 que pariter Episcopo Episcoporum telam perteximus. Infi-
 nito ejus Numini aeterna gloria, Ecclesiaeque ejus hic
 terrarum militanti pax constet
 sempiterna!







Helmsedt, Diss., 1662 (1)

ULB Halle

3

004 851 587




TA → OL nur 7+ B shield verknüpf

VD17
VD18







B.I.G.

LXXXVII

8.
1662/11

14

JOACHIMI HILDEBRANDI
COMMENTATIONVM

DE

EPISCOPI


ET

IVRIBVS EPISCOPALIBVS

BIGA.



EDITIO NOVISSIMA.



HELMSTADII

EX OFFICINA SCHNORRIANA.

clloccxlv.

